

4589 8
17

Johannis Cæsariz, ad D. Petri, Gedani Ecclesiast.

JUSTA CAUSA
REFORMATORUM,

IN

URBE GEDANENSI,

Clarè ostensa atq; vindicata
adversus

Nuperas D. Johannis Botfacci
Obscurationes.

ANNO
M. DC. LII.

EXLIBRIS
MILOŠEVIĆ
BIOGRAD

454

ILLUSTRISSIMIS ET CELSIS SIMIS PRIN-
CIPIBUS AC DOMINIS.

DOMINO JANUSSIO RADZIVVIL,
Duci Birzaram & Dubincorum, Sacri Romani Imper-
rij Principi, Neveliae & Sebesti Comiti: Ducatus Samo-
gitiæ Generali Capitaneo: Exercituum Mag. Duc Lith-
vaniæ Duci Campestri: Casimirensi, Borisovieni,
Cameneicensi, Seyneni, Bystrzycensi, Re-
toviensi Gubernatori.

Ut Et

DOMINO BOGUSLAO RADZIVVIL,
Duci in Slucko, Kopil, Dubinki, & Birze, S. R.
Imp: Principi, M. D. Lithv: Comite Sta-
buli, Barrensi, Posiervensi &c.
Gubernatori.

- Dominis Gratiissimis.

Illustrissimi & Celsissimi PRINCIPES
Christiani HEROES Fortissimi
Domini Gratiissimi.

SI LIBERTATIS jacturam OMNIUM intolerabi-
lissimam vocauero, dico aliquid; sed nondum,
qvod RES est: Pretium enim ejus æstimari non
potest, atq; NIHIL est, qvod INGENUOS ANIMOS
tenerius afficiat, qvam inexpectata ejusdem oppressio,

)
2

qvâ

qvā ut Servi in Patriā esse jubentur, qvibus Cælo
favente, TERRENA NUMINA, OPTIMI RE-
GES, firmaverant ad seram posteritatem dura-
tura, LIBERÆ CONDITIONIS JURA. Acer-
bum admodum Mortis est GENUS, qvo id ca-
dit, qvod VITA est CHARIUS! Quid enim
prodest VITA, ubi OCCISA est LIBERTAS,
qvæ cum vitæ pretio pari ambulat passu? Qvo
in casu, luctuosam subire coguntur sortem, Re-
formati Cives in URBE Gedanensi: Integrum
penè effluxit sæculum, ex qvo PUBLICA gavisi
sunt LIBERTATE, Libertatisq; coñunib; Pri-
vilegiis; Atq; NUNC demum Novelli surgunt
Theologi, qvibus, qvicqvid haetenus in talibus
à Reformatis possellum, in oculis Sudes est, atq;
hinc, nullum non movent Lapidem, ut vel uno
si possent, ictu OMNEM Reformatis amputent
JURIUM Hæreditatem. Quem in finem Di-
sputant, clamant, scribunt, Nulla PRORSVS
IISDEM in Vrbe Gedanensi competere Privil-
egia. Qvo conatu cum omnium Reforma-
torum Fortunæ in periculo hæreant, potissimum
verò CONSCIENTIÆ LIBERTAS, TAN-
TO sudore redempta, VOS utiq; CELSSISSI-
MI PRINCIPE S, hæc compellat Calamitas.

Qva-

Qualis enim est Libertas , qvæ impetratur , nisi
 qvam Laudatissimi Prædecessores VESTRI Glo-
 rioso compararunt Titulo ? Nonne est Illa ipsa
LIBERTAS , in cujus patrocinum sub JOVE
 FRIGIDO , VOS toties castra movetis , adversus
 Gentes Barbaras , & pro qva sub communi Li-
 bertatis vexillo , Duce Invictissimo Rege NO-
 STRO JOANNE CASIMIRO , præ omnibus
 alijs tam strenue excubatis ? Dum illa igitur
 affligitur Libertas , vestra utiq; pulsantur Late-
 ra . Eò enim deventum est , ut qvi in Poloniâ
 summis fruitur Privilegijs , in Vrbe Gedanensi ,
 Theologorum nonnullorum Judicio OMNI
 JVRE , ipsaq; Conscientiæ Libertate denudatus ,
 inter viliores reijciatur Animas . Cum Constan-
 tinus Magnus qvondam , cum Theologis primi-
 tivæ Ecclesiæ de Rebus Ecclesiasticis verba face-
 ret , dicebat : Me Deus extra Ecclesiam constituit
 Episcopum , Vos intra Ecclesiam : Ita & VOS
 Celsissimi PRINCIPES , habetis qvod agatis
 in Rebus Ecclesiasticis , scilicet , ut COMMUNI
 Ecclesiæ vigiletis BONO . Id fecistis haec tenus
 probatissimo Exemplo ; atq; ut nunc faciatis ,
 Rei efflagitat necessitas . Non ARMA petun-
 tur , non MARTIS fulmina ; sed Pacis olea ,

Concordia&q; amicè servandæ solicitantur Me-
dia; atq; Iustitiæ inter CONCIVES tutandæ,
pacifica desiderantur Adminicula. Qvæ si Ve-
strâ prudentiâ PRINCIPES Celsissimi, pro-
curari possunt, efficient, ut tota Vrbs Gedanen-
sis vario Nomine Vobis fiat devincta atq; obno-
xia. Qvod ut obtineatur, omnibus pijs in votis
est. Vivat interea REX optimus JOANNES
CASIMIRVS, vivant servatæ Iustitiæ Regia
qvæ molitus specimina! Vivite CELSISSIMI &
ILLVSTRISSIMI PRINCIPES, & victoriosè
pro Rege, pro Patriâ agite Heroës fortissimi. Sic,
Vivet post FVNERA VIRTUS; Et GLORIA-
post FATA SVPERSTES. Anno M. DC. LII.

Bene-

BENEVOLE LECTOR.

EA nunc sunt tempora ut Christianismum lædant, qui ejusdem splendida profitentur Nomina: Sub *VERITATIS* prætextu bellum infertur ipsi Veritati; Sub *PACIS* titulo Vera Ecclesiæ pax profligatur; atq; ita Mater Ecclesia, inter Degeneres habet filios, à quibus penè idem patitur, quod à juratis Hostibus. In modo nocendi *Diversitas* est, in Effectu eadem noxa ab utrisq; Scilicet ubi in Ecclesiâ pro *Sancto zelo* humani se intrudunt *Affectus*, pro *Spiritu Discretionis*, *Cæca odia*, nihil aliud sequi potest, quām ut in Ecclesiâ, quæramus Ecclesiam, & æterno velut exilio multatam lugeamus *Concordiam*, absq; cuius studio, nemo esse potest intra Ecclesiâ. Constantinus Magnus Meras Victorias ex eo numerabat, si Ecclesiasticis motibus pacifco interventu finem imponere potuerat. Idem *Ardor sopiendi Ecclesiastica incendia*, cuivis pectori Christiano, pro occasione & modulo, firmiter insidere debet. Qui enim in Ecclesiâ non *Colligit*, *dispergit*; *Dilapidat* qui non *dilatat*; *Occidit*, qui *inficta* & *hiantia vulnera non curat*, sed renovat, & perpetuae hostilitatis mucrone, amplius transverberat atq; ampliat. Quod quam verum sit, Tristii exploratum habet experimento Orbis Christianus; deplorant quotquot sunt bonæ mentis inter eos, quibus, ut *Charitatis glutine*, in *Uno CHRISTO* coalescant omnes, nunquam non est in votis & suspirijs. Aliquot sunt nihilominus, quibus volupe est, ex eo aliquid venari Gloriæ, ut manibus, pedibusq; reluctentur, ne tandem arma deponantur Hostilia, & Ecclesia desinat intra viscera periculis Odiorum concuti Motibus? Num tales cum Christo colligant, judicet divina Justitia! prætextus utiq; va-

*Euseb. de
Vita Con-
stant. lib.
III. cap.
XIV.*

nus est, cui Colorem obducunt à Veritatis tentato patrocinio. Non syademos pacem, quæ Veritatis Aras subruat, sed quæ easdem stabilitat, communiat. At verò, suspecta Veritas apud eos est, qui pace carent, & meritis odiis in ipsius Ecclesiæ ferociunt lancingationem, more nimis passivo. Non est, ut ad ea quæ transacta & decursa sunt, animum revocemus; in oculis sunt, quæ luētuoso testantur specimine, nondum deesse, qui divisionibus, aliorum damnationibus, atq; ita Ecclesiæ turbatione magis quam ejusdem tranquillitate gaudeant. Quos inter suo merito præ alijs locandus, D. Johannes Bottsaccus Theologus Dantiscanus, sed Lutheranus. Illi non satis fuit, tot annos Ecclesiam Reformatam varijs pulsasse Catlumnijs, horrendisq; gravasse accusationibus: Non satis ipsi fuit, ut Ministeriuu Lutherano Augustanum, quod est Dantisci, & cuius ipse haud infima pars est, antehac falcam suam in alienam immiserit messem: seseq; in politicas intrusèrit causas, publicis Scriptis asseverando, Reformatos nulla prorsus illic habere Jura, quin potius per meram indulgeri tolerantiam, quicquid possideant Libertatis. Verum cum Reformati insolentes illas Ministerij voces, pacis ergo patienter tulerint, ipse Bottsaccus, tolerantia illorum abusus, hoc insuper adjecit Laboris, ut periculoso hoc tempore, quo ablatum Reformati Templum, eorundemq; in periculum adducuntur Jura, illis omnem provocationem, ad Privilegia tanto temporis intervallo habita, conetur facere dubia, & qvovis modo suspecta. Scilicet id agit, ut pulsis Reformatis, ipse cum suis solus habeat, quod agat. O vere egregiam Theologiam, quæ aliorum vix potest exsa-

exsatiari oppressionem! Eventus equidem ab altiori penetret Tribunal. Justus est Deus, qui bonitatem Causæ quam agunt Reformati perspicit; *Æquus Rex*, qui interris judicat. Hinc exspectant decisionem, Bottsacei fulmina de pelvi flocci pendentes. Interea optandum foret, ut de Civilibus rebus tractaturus Bottsaccus, vel prima Juris Elementa degustasset, sic ubi Theologica excidisset æquitas, vel ex practicis Regulis imbibisset; immiscere se rei ad se non pertinenti, *Culpam esse.* Quo in casu omnium Theologorum Januis, quinimò mentibus deberet meritò esse inscriptum, quod Imperator Honoriūs, ut & Theodosius sanxit: *Clerici cum actionibus publicis & ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, nihil habeant commune, prout habetur in Codice Juris Lib. I. Tit. 3. Num. 17. p. 26.*

Quia tamen Bottsacco in hanc materiam, quæ Regis arbitrio unicè reservata esse debebat, involare placuit, necessitate adacti, ad Examen nuperrimi scripti, quod *Defensionem Constantis Assertionis* nuncupavit, Deo juvante accedemus, atq; in specie ad expensionem præfationis; operis ipsius Confutationem ad Dn. Doctorem Johannem Crotium, adversus quem frustraneo nisu vibrat arma, remissuri.

Quæstio quam in præfatione contra Reformatos Dantiscanos Cives format, hæc est: Sintne Reformatorum Ministri & horum Asseclæ, pro Socijs Genuinæ Augustanæ Confessionis, inde ab initio ad hunc usq; diem in Civitate Gedanensi habitæ, sine ullâ contradictione, impugnatione, protestatione? Hic Bottsaccus negatiæ litem contestatur, & XVII. Argumenta, quibus evin-

cere putat quod intendit, in aciem locat. Vide pag. 19.

Verum captiosissime in formando Controversie statu progressus est, & tot penè in Quæstione positâ occurunt hallucinationes, quot verba: Hæc prima, Lector Botsacci Ars est disputatoria; Attende ad rem, & palpaberis quas nominavi Artes.

1. Monstrum alit, dum de *solis* Reformatorum Ministris, eorumq; Aſſeclis querit: Num illi sint Augustanæ Confessionis genuini Socij? At per Ministros & horum Aſſeclas intelligit *solos* Ministros Reformatos Dantisci & alibi degentes: Aut Ministros Dantiscanos cum suo Cœtu? Si hoc: Quem igitur excludit ut dicat: *Cum his solis nobis res est?* pag. 19. Sin illud? Vana cautela est. Nam non solum Ministri dicunt Reformatos esse Augustanæ Confessionis socios. Nec opus est, ut illi *Celsi Heroibus* tale quid persvadeant. An illustres Animæ sua ignorant Jura, sua prorsus incognita habent Privilegia, magno prædecessorum labore parta & conservata? Id nimis crassum suspicari. Dicam quod res est, Botsacce, solos nominas Ministros Reformatorum eorundemq; Aſſeclas, ut eò securiore Privilegio effunderes bilem, scribendo pag. 15. Propudosam esse Assertionem, quā statuatur, Reformatos Augustanæ Confessionis esse socios. At verò hæc Assertio non tantum Reformatorum Ministrorum, sed totius Ecclesiaz Reformatæ, & tot Magnarum animarum Principum, Electorum, Regumq; ipsorum est propria Assertio. Sic Anno 1620. Georgius Wilhelmus, Elector Brandenburgensis 5. Maij scribebat. Se summo Jure provocare ad Augustanæ Confessionis Societatem. Sic Serenissimus Rex noster JOHANNES CASI-

MIRUS

MIRUS in nupero Mandato Anno 1651. 3. Octob. Reformatos Dantiscanos, Reformato Augustanos vocat. Nonne in hos omnes etiam si præcavere labores, propudosæ Assertionis devolvis maculam? Satis utiq; propudosè! Scilicet hæc Botsacci est modestia, quæ non nisi talem decet Disputatorem.

2. Minus candidè agit, dum absq; Explicatione quærit: Num genuinæ Augustanæ Confessionis *socij* sint Reformati? Novit enim, utiq; & primæ Augustanæ Confessioni Anno 1530. 25. Julij Carolo V. exhibitæ subscribere Reformatos. At verò novit simul, illos sincerissimæ subscriptionis solidissimum habere fundamentum. Subsecuta enim est Explicatio Augustanæ Confessionis, per Confessiones in Consensu Sandomiriensi amicè junctas, & à Reformatis ac Lutheranis in Regno Poloniæ Confessoribus Anno 1570. unanimiter, & solenni Actu publico receptas: Cujus Explicationis respettu, & non aliter Augustana Confessio Dantisci, & in toto Regno Poloniæ publico gaudet Privilegio. Privilegium enim Aug: Conf: ita indultum est Civitati Gedanensi à Potentissimo Rege Stephano Anno 1577. ut expressis verbis adjecerit: De usu etiam libero Religionis Augustanæ specialibus literis nostris, *inhærendo Confœderationi publicæ* illis cavimus. Ergo illa Augustana Confessio quæ in ipsâ Confœderatione Helveticæ & Bohemicæ juncta Basin facit omnium Immunitatum, Privilegio Regio illâ in Civitate fruitur. Illa autem est ea, quæ An. 1554. Concilio Tridentino exhiberi debuerat. De hac enim exsertis verbis ita in ipso Consensu Sandomiriensi positum est, Anno 1570. 14. Aprilis: De Cœnâ Domini illam

Sententiam amplectimur, quæ est annotata in mutuo Consensu Sandomiriensi, & Articulo Confessionis Saxonicae missæ ad Tridentinum Concilium Anno Christ M. D. LI. Vocabimusq; terminos, verba & Explicationis, à Verbo Dei, & Hoc Generali Consensu, & ab hac ipsa Confessione Saxoniarum Ecclesiarum ad Tridentinum Consilium missa Alienas Atq; de hoc ipso, clarissime etiam testatur Schützij Dantiscani quondam Lutherani Secretarij Continuator in Historiâ Prussicâ. Lib. XIII. enim fol. 554. ait. Quia itaq; ante Theologi Evangelici, in Poloniâ diversas Confessiones, nonnulli Bohemicam Alij Helveticam habebant, consultum visum est in Consensu Sandomiriensi, ut & in Conventu Thoruniensi ut harum trium Confessionum Theologi, se contra commune periculum factâ unione communirent, de Sacramento autem S. Cœnæ secundum Augustanam Confessionem [Non secundum illam quæ Anno 1530. exhibita est, sed secundum illam quæ Consilio Tridentino Anno 1551. exhiberi debuit] docerent. Hæc ipsissima sunt Scriptoris verba. Atq; addit ibidem, Conclusum simul esse, ut si quis aliter doceret, loqueretur, scriberet, aut consensum perstringeret, illum pro fratre non agnoscendum, nec in Ecclesijs Regni Polonici Evgelicis, tolerandum esse. Unde Reformati in Colloquio Thoruniensi pag G. Anno 1645. Se ita declarant: Cæterum eas Controversias, quæ patrum nostrorum memoriam Ecclesiæ Occidentis, infelici dissidio disjunxerunt, quod altinet, profitemur, ei nos sententiæ accedere, quæ tum in Augustanâ Confessione, superioris sæculi Anno 30. Imperatori Carolo V. à Principibus & Civitatibus Imperij protestantibus exhibita, sive

ta, sive eam Invariatam, sive repetitam aut emendatam dixerit. Tum etiam in Bohemicā & Sandomiriensi ex Scripturis explicata, in Ecclesijs hujus Regni Reformatis integrum jam ferē sāculum, obtinuit, prout tres illæ Confessiones, quamvis verbis nonnihil discrepantes, tamen ut reipsā cum Scripturis, & inter se in Capitibus fidei Necessarijs consentientes, Sandomiriensi Consensu Anno 1570. in Ecclesijs Nostris receptæ, unitæq; sunt, atq; etiam Confœderatione pacis & securitatis publicæ in hoc Regno firmatæ ac munitæ. Quam Declarationem etiam suā stabilitate authoritate Illustrissimus Regni Cancellarius Anno 1645. in Colloquio Thoruniensi. Cum enim Lutherani in illo Colloquio prætenderent. Invariatam [quam vocant] Augustanam Confessionem in Regno Polonico Privilegio esse donatam, exinde offensus nimio- perè Illustrissimus Regni Cancellarius, Regius Legatus, declarabat constantissimè Invariatam Augustanam Confessionem, nulla omnino in locis Regon Poloniæ obnoxij, habere Privilegia. Se enim esse custodem Priviliorum, qui Privilegia Urbium, & Confœderationes in Regno, quæ Reformatos præcipue, & in conjunctione cum ipsis, Lutheranos concernant, exactissimè noverit, certusq; sit, Augustanæ Confessioni Invariataæ, nihil Privilij competere. Quā in declaratione, usq; adē firmiter persttit, ut nullæ verborum prætenionumq; intercessiones, quicquam pro adversā parte profecerint. Atq; hinc etiam olim factum, ut Defensores Notulæ Dantiscanæ [qui Senatus jussu ejus tutelam suscepérunt scribendo] ad Augustanam Confessionem provocando Articulum X. absq; Invariataæ [ut loquuntur Lutherani]

clau-

clausulâ posuerint, scribunt enim in defensione Notulæ, pag Y. III. Verba Augustanæ Confessionis in X. Articulo ita sonant : De Cœnâ Domini docent, quod cum Pane & Vino verè exhibeantur Corpus & Sangvis Christi, vescen-
tibus in Cœnâ Domini. Hæc si Botsaccus addidisset, facile constitisset de sinceræ subscriptionis optimo funda-
mento, quo nituntur Reformati.

3. Decipit dum quærerit : Num sine Contradicitione, protestatione, Reformati sint pro A. C. Socijs habiti ? Intelligit enim Contradictionem, protestationem à Lutheranis factam, ut postea patebit. At hoc in quæstionem hic non venit : Sed de eo agitur : Num *Regio nomine* contradicuum sit, Regiâq; determinatione exclusi Reformati ? Cum hoc non possit probari, frustra laboratur. Nec enim adversa pars clamosè obstrependo præjudicare potest, partis alterius Iuri, à foro altiore pendentि.

4. Tricas nequit dum inquirit : Num ab initio Reformati pro Socijs A. C. sint habiti ? Ab initio renascentis Evangelij, nec ipsa Augustana Confessio Privilegio Dantisci gavisa fuit, sed postea demum illud indepta est. Ergo frustra etiam de Reformatis quæritur : Num ab initio renascentis Evangelij statim pro Socijs Augustanæ Confessionis, [quę circa initium nulla habebat Privilegia] declaratis sint. Non Entis nulla sunt Accidentia.

5. Perperam etiam quæritur : Num Reformati sint *habiti* pro Socijs A. C ? Non pro quibus habeantur, sed quid ex jure sint dispiciendum.

Propria igitur Quæstio Hęc est : Num Reformati Dantiscanę Urbis Cives, istiusmodi Juris habeant certitudinem, respectu Templorum, aliarumq; Immunitatum,
ut con-

ut confidenter ad Societatem Augustanę Confessionis illiē
Privilegio donatę provocare possint, & jam dudum potu-
erint, atq; ita nequaquam per meram tolerantiam illiē de-
gant, sed omnium Privilegiorum, Civitati concessorum
de Jure sint participes? Dum hīc Botsaccus negativam
eligit, videbimus quibus Rationibus nitatur ejus Affer-
tio. Quā in re cum ipse numero, non pondere pugnatu-
rus, XVII. proferat Argumenta, nos quæ junctim tangi
possunt, junctim etiam expendemus ne ultra votum ex-
currat rei tractatio.

Primum Argumentum petitur ab Indulto Sigis-
mundi Augusti, quo Religionis Libertatem ita obtentam
asserit Botsaccus, ut Lutheranis illius loci eam *suo sensu*
hactenus usitato, juxta sententiam Augustanę Confessionis
exercere liceret. Atq; hinc inferre vult, Reformatos
ab eodem Indulto esse exclusos De quo Indulto usq;
adeo sibi applaudit, nupera quę prodijt Lutherana Hi-
storica Relatio, ut illud Privilegij Titulo insigniat ad
Annum 1557.

At quam futile sit hoc Argumentum paucis mon-
strabo, ut velinde constet, quid de ceteris expectandum?

R. Igitur.

1. Falsum est, Anno 1558 obtentum esse illud Si-
gismundi Augusti Indultum, ut affirmat Botsaccus. Ob-
tentum est Anno 1557. ut subscriptio ipsius Indulti ad
ocnlum exhibit, data Wilnę Feria 2. post festum Visita-
tionis Marię Virginis.

2. Falsum, illa Sigismundi Augusti Concessione
Privilegium aliquod Augustanę Confessioni donatum esse.

b

Merum

Merum Indultum fuit, usq; ad Generalia Comitia proximè Instantia concessum. Ita ferunt ipsa Indulti Verba.

3. Falsissimum, Indultum illud Reformatis esse adversum. Nam.

1. Reddat Botsaccus Verba Indulti, vel ullis Reformatis opposita, aut eosdem excludentia. Non habet uude prælegat. De suo igitur fingit, quod concludit. Quę pessima Disputatoris Nota.

2. Illo tempore nullos adhuc Dantisci fuisse Reformatos putat (sed putat) Botsaccus in eodem Argumento I. pag. 19. Quomodo igitur Indultum illis opositum, quomodo illos excludat, qui non erant? Insana figmenta.

4. Falsissimum est illo Indulto Lutheranis Religionis libertatem ita concessam, ut suo haec tenus usitato sensu, juxta Sententiam Augustanę Confessionis illam exercerent. Hęc de Botsacciano Privilegio desumpta sunt; nonde Regio Sigismundi Augusti Indulto. Nam.

1. Rex non in totum Religioni Augustanę Confessionis libertatem indulxit, sed in specie tantum respectu communionis sub utrāq; id habent Regia verba, quibus adh̄eremus: Permittimus, ait, & admittimus, Senatui populoq; Civitatis Nostrę Gedanensis liberam administrationem, & liberum usum Cœna Dominicæ sub utrāq; specie in Ecclesijs quibusvis. Jam verò omnes Reformati Dantisci sub utrāq; specie communionem celebrant. Quo igitur respectu illis hoc Indultum est Oppositum? Quo titulo eos excludit?

2. Rex nequaquam Libertatem Religionis sensu Luther-

Lutherano exercendam indulxit, sed pro sensu & præscri-
pto S. Scripturę, & Veteris Ecclesię Ritum. Ita iterum
habent Regię Literę. Senatus propulusq; Civitatis
Nostrę Gedanensis obtestati nos sunt, ut administratio-
nem Cœnę Dominicę juxta præscriptum Verbi Dei &
Veteris Ecclesię morem, sub utrāq; specie, panis videli-
cet & vini, illis concedere dignaremur. Ad hęc omnia
provocant Reformati. Proinde nec sic ullà ratione excludi
posse invictè constat.

3. Rex juxta hujumodi præscriptum Libertatem
illam indulxit, toti Civitati, Senatui populoq; Gedanensi
& quidem omnibus hominibus, viriusq; sexus & cujuscunq;
conditionis. Nisi igitur Botsaccus præfracte negaverit,
Reformatos esse homines, erubescet eos ab hujus Indul-
ti Societate, ut cujuscunq; conditionis cives (quos Indultum
ipsum inclusit) excludere. Atq; ita primum Argu-
mentum nullum est, atq; à scopo præfixo aberrat. Nam
status Controversię erat de Quęstione; Num Reformati
pro Augustanę Confessionis Socijs sint habendi? Atq;
ita simili: Num ad Societatem Privilegiorum Augustanę
Confessionis, Gedano concessorum pertineant? Hoc ne-
gabat Botsaccus: probationem arcessens, ab Indulto
Sigismundi Augusti. At verò 1. Indultum illud nullo
respectu, nullà ratione Reformatis est contrarium. 2.
Tempore concessi Indulti Augustana Confesio, nullum
adhuc fixum Privilegium obtainuerat. Ipsum autem In-
dultum, usq; ad Comitia pro Communione sub utrāq;
Civitas tantum impetraverat, & postea demum vi Con-
federationis antegressę, Anno 1577. Privilegium Ste-
b ij pha-

phanianum concessum fuit, ut suo docebimus loco. Non prope igitur à delirio abesset, ex tali Indulso quod Reformati non est aduersum, & Privilegiorum fulcrum non est, sed quod subsecutum Anno 77. Privilegium, tot annos antevertit, in ferre velle, Reformatos non esse Socios Augustanę Confessionis ejusq; Privilegiorum, quę fatentibus Lutheranis ipsis post XX. Annos Gedanensi Urbi demum collata & confirmata sunt. Nihilominus Botsaccus sudat ex his tale quid coiligere. Ejusmodi argumentum bilis dicitat, atq; livida Invidia, non Veritatis nec patrię verus amor.

II. Argumentum est, Reformatos ab incunabulis reducti Evangelij, nullos Dantisci habuisse Ministros, sed eos paulatim irrepsisse, delituisse, atq; sub pretextu Augustanę Confessionis introductos esse: ita pag. 20.

R. 1. Vana est Consequentia. Reformati Ministri non statim adfuere ab initio: Ergo Reformati ipsis illic non sunt Socij Augustanę Confessionis. Quo enim instrumento sunt exclusi ab initio? Nullum monstrabit Botsaccus. Ergo se frustra fatigat. Ipsi Lutherani quoq; ab initio, in Templis suis Ordinarios Ministros non habuerunt. Quin potius ab Anno 1523. ad Annum 1557. variè sunt turbati, ut ipsa nupera Historica relatio fatetur. Ergone & inde sequetur, Lutheranos eo ipso à Privilegijs post obtentis esse exclusos? Vix dabit Botsaccus. Ergo agnoscat Conclusionis suę vanitatem ex pari casu.

2. Posito, nullos ab initio Reformati adfuisse Ministros, ipsis Reformati rāmen in Urbe Dantiscanā Religionis libertas, eo ipso interclusa non erat, quia fatente

Bot-

Botsacco pag. 19. Jam tum Anno 1557. Nobilitati Polonicæ (quæ quoad maximam partem ex Reformatis consistebat) & toti Regno, Religionis libertas erat indulta.

3. Falsum est, ab initio non adfuisse Reformatos inter Cives Gedanenses, vel antequam Privilegium ullum contigeret Civitati, circa Annum 1560. Benedictus Morgensternius, Lutheranus Minister, & alij clamabant, aliquot ex Ministerio Theologos, jam dudum Reformatæ doctrinæ fuisse addictos.

4. Ejusmodi Reformatos Ministros quales hodie fingit Botsaccus, cum suis Complicibus, non fuisse ab initio renascentis Evangelij ultrò damus. Tales enim neq; hodie in rerum naturâ existunt. Mirum igitur non est, tales ab initio non fuisse notos. Charitas & simplex Veritas; omnes ab initio unius Corporis obstringebat vinculo, quos Morgensterniani genij figmenta & criminationes, postea subinde quærebant discriminare atq; dividere.

5. Falsum, Reformatos Ministros irrepsisse, aut unicum reddendum Exemplum, aut agnoscenda Impudentia. Quotquot nominari possunt, honorifico Magistratus introducti sunt Consensu. D Fabritius, quem tangis Botsacce hoc in casu omni exceptione firmius habet testimonium, velex tuis occurruunt qui suppeditent. Continuator Casparis Schützij de rebus Prussicis lib. XIII. fol 555 testatur, Eo ipso tempore quo D. Fabricio de suspecta doctrinâ lis intentata fuerat, Senatum ita suam interposuisse Authoritatem (quod supprimit Botsaccus) ut declaraverit, publico Magistratus Dantiscani suffragio
b iij atq;

atq; Decreto , ipsum ad ordinarium docendi munus vocatum esse , atq; deputatum . Atq; hinc factum ut Senatus Amplissimus ad specialia Indulta Religioni Gedanensis . Urbis sacrata , in defensione ejusdem Fabricij provocaverit .

6. Falsum est : Doctorem Fabricium aliosq; Reformatos sub Augustanæ Confessionis pallio , vel Palladio , (ut Botsaccus loqui amat) subdolè delituisse : Ipse Botsaccus fatetur pag. 21. in argumento 2. D. Fabricium sententiam suam plane edissertasse . Ergo subdolè incusat , quem ita excusat . Ipsum autem D. Fabricium ita de Spirituali Manducatione locutum , ut nec veram ac Realem in S. Coenæ manducationem negaverit , nec Augustanæ Confessioni ipsi contradixerit , juratus testis D. Fabricius ipse longè firmiores nobis facit fidem , quam Botsaccus meretur . Ipse enim Fabricius Wittebergæ juramenti Conscientiæ se Augustanæ adstrinxit Confessioni , hinc cum Basileæ Docturæ lauream adepturus urgeretur , ut alijs subscriberet Confessionibus , ipseq; prætenderet , se jam tum Augustanæ Confessioni , ut Symbolico Urbis Daniscanæ scripto , fidem obstrinxisse , absq; ulteriori aliarum Confessionum subscriptione , admissus est . Ita Fabricius ipse in Refut. Col part. 1. pag. 224. 225.

7. Ipsos autem Lutheranos irrepsisse , circa initia testantur mutationes quæ circa Finckenblockium , & alios reclamante aulâ , & alijs superioribus sunt tentatæ , quas ipsa nupera Historica Relatio enarrat ad Ann. 1522. 23. 24. 25. 26. & 55.

3. Argumentum sumitur à Notula Gedanensi , ut pote ,

pote, quæ Reformati in Art. XIII. sit opposita, cum expressè dicatur, nec etiam subscriptentes facere cum Zwinglio, Calvino, & omnibus alijs, qui figuratè Christi verba exponant, ac si Christus secus quam sentiebat, elocutus esset: Ita Botsaccus pag. 21, 22. Et quia omnes Reformati Dantiscani Theologi, illi Notulæ etiam subscriptunt, Botsaccus hinc quiritur. Veteratoriè agi à Reformati, atq; hujus causâ toties debachatur in eos, ac si Arrianis forent similes, aliudq; corde premerent, aliud ore sonarent. Boniq; doli Titulo simulationes nequissimas obtinerent.

R. Grandis dica est: Nefanda quæ intentatur Culpa! At eò fœdior hæredit in Accusatore macula, quod efficacius tota accusatio fuerit depulsa. Attende Lector, & paucis Botsaccum ex Accusatore sistemus Reum.

J. In fraudem utitur Verbis Artic. XIII. Notulæ, reticendo scopum & occasionem Verborum, de Calvino & Zwinglio intrusorum. Ab ovo igitur nonnulla repetenda, & altius revocandasunt. Morgensternius Lutheranus plerosq; Theologos Dantiscanos suspectæ insimulaverat doctrinæ, varijsq; technis D. Wigandum, Superintendentem Wismariensem in partes suas pelleixerat. Is Wigandus, ut veterum excuteret Civitati Gedanensi, ipse Hannibalem ad portas esse somnians, hortabatur publico scripto, ut sibi omnes à Calvini & Zwinglij carente dogmate, utpote qui statuerent [etiam si Christus dicerit: Edite, Hoc est Corpus meum] nihilominus ipsum ejus corpus non esse manducandum, nec sanguinem bibendum, sed nudam efficaciam Passionis & mortis Christi,

per:

per mandationem illam intelligendam. Atq; hoc ipsum perinde erat, aësi Christus aliter atq; senserit, locutus sit. Quo facto ad Senatus desideria Theologi Dantiscani Ministerij Confessione porrecta, declarabant, sibi cum tali opinione, [quam Wigandus scilicet Zwinglio & Calvino imputaverat] nihil esse negotij, sed sese firmiter credere, Essentiale Christi Corpus, & Essentialē ejusdem fusum Sangvinem, reverā nobis in S Cœnā exhiberi manducandum, & bibendum. Ita habes in Censurā Wigandi Doctrī III pag R. Et in Apolog. N An. 1561 pag F. Ex hac Confessione ad Amplissimi Senatus ordinationem, secuta est Dantiscanæ Notulæ conscriptio, atq; *hinc illis*, qui ejusmodi usi fuerint figurata Exegeſi, ut dixerint Christum *alter* quam senserit locutum, & Corpus & Sangvinem, *licet* promiserit, nequaquam tamen dare, manducandum & bibendum, sed meram Passionis memoriam, & Efficaciam obsignare: *Atq; ita* Calvinismo & Zwinglismo [à Wigando nimirum depicto,] [prout postea inde illa nomina in textum immissa sunt] oppositus est Notulæ Articulus. XIII. Jam verò ipse Wigandus, olim coram Christi tribunali, transigat cum Calvino & Zwinglio, jurene an injuria ipsi ejusmodi imputaverit dogmata. Ipsi Reformati omnes, & Theologi ipsorum, rem ipsam in Artic: XIII, rejectam, ore, cordeq; pro rejectanea declarant, eamq; detestantur. Nec enim nos Reformati putamus, nudam in sacrâ Cœnâ Passionis Christi recoli memoriam, nudamve mortis offerri efficaciam, sed rationis oblectationem in fidei obsequium cogentes, firmiter credimus, veracem & Omnipotentem Servatorem, nos Essentiali crucifixo

cifixo Corpore, Essentiali Sangvine , qui è vulneribus pro-
fluxerit, revera Cœlesti inscrutabili modo, ad vitam æter-
nam cibare ac potare. Hæc Notulæ Doctrina est : Hæc
nostra fides, intimis cordis fibris impressa. Quà igitur
fronte nobis Arrianam simulationis vafriciem ac levita-
tem [cum nulli atq; Nostrates, animosius contradicant
Arrianis] exprobras Botzacce? Se damnat, qui Innocen-
tem damnat! Ergo tecum habita & lingue occulta, soli
Deo Judici reservata, Habes hic manum nostram, cui si
non credis, olim coram cœlesti foro T E alijs convince-
mus Testimonij, quorum bonitate freti hic quoscunq;
obtrectationis spernimus susurros. In Rectis sincera
sufficit Conscientia. Quisq; enim semetipsum familia-
rius novit coram Deo, ait Illustris ille Causidicus Minutius
Felix in Octavio suo.

Dicis: At Apologia Notulæ fatetur, Notulam è Re-
cessu Francofurtensi esse desumptam Num is Reformato-
rum proprius est Recessus?

R. 1. Verba è Recessu illo de S. Coenâ in Apologiâ
pag. G. allegata, sunt longè optima, atq; eodem Spiritu in
Notulâ attemperata, atq; hinc à nobis meritò recipiun-
tur. Quicquid enim Catholicum est, Christianæ Apes
colligunt, ubicunq; inveniatur.

2. Adde: Dn. Jacobum Bartium, U. J. Doctorem,
qui Magistratus jussu Notulæ Author fuit , materiam ejus
Notulæ simul, ex Philippi Melanchtonis , & Johannis à
Lasco scriptis desumpsisse, hinc Morgensternius Luthe-
ranus, Orbi testatur, modum loquendi de Sacramenta-
libus Phrasibus in Notulâ adhibitum, Reformatæ Doctri-
næ esse proprium, atq; ita penes ipsos Reformatos, omnia

exlicandæ Notulæ residere Jura. Vide Morgenstern: in Confut. Not. pag. B. B. 11. & sequ.

Dicis: Reformati noluerunt simpliciter subscribere Notulæ? Ita Botsaccus pag. 26. in Argt. 4. Et in Argt. 8. pag. 31. Arg. 9. pag. 32. & Arg. 10. pag. 33. 34.

R. D. Fabricius in Confut. Col part. 1. pag. 37. Causam reddit, cur ad tempus detrectata sit desiderata subscriptio? Scilicet quia nonnulli Lutherani Explicacionem Notulæ obtrudebant Augustanæ Confessioni minimè congruam. Hoc omittit Botsaccus. Eo ipso enim tempore, obstupuisse Gedanum ob exclusum Huberianismi & Flaccianismi foetum, Augustanæ Confessioni, & ejus Apologiae Consensuiq; Sendomiriensi inimicum, testatur idem Fabricius, atq; refert: Coleti Collegam approbasse Jacobi Andreæ Concionem, quâ Anno 1580. asseruerat, Christum in Ascensione ad cœlos, ne latum quidem pilum de terrâ sublevatum, sed ipsum Corpore suo, etiam in Aquis & igne, nobis esse præsentem, ibid. pag. 40. Mirum itaq; est, quâ Conscientiâ hâc in parte Schismatis Exorsionem in Reformatos Theologos devolvat Botsaccus, cum tamen illo ipso tempore Formula Concordiae, quam Flacciani commendare inceperant, & alia peregrina Scripta polemica, publico Senatus Decreto, à Gedanensibus Ecclesijs, fatente ipso Botsacco Arg. 10. pag. 33. arcerentur, paxq; Theologis Dantiscani Ministerij, solenni sanctione imperaretur. Atq; cum Flaccij Asseclæ, Decreto Senatus [in quo acquiescebant Reformati] reluctarentur, in de rupra pacis sint vincula. Unionisq; avulsa Repagula, atq; inde in proclivi sit cernere illâ

illâ occasione Discordiæ venenum, in Ecclesiam Dan-
tiscanam esse, proh. dolor! effusum.

Dicis: At Syntagma Confessionum à Reformatis
Anno 1612. collectarum testatum facere, Reformatos suis
varijs Confessionibus, se loco & tempori accommodare.
Ita Botsaccus pag: 15.

R. Mirum est, quî D Botsaccus' Confessionum Synta-
gma ita onerare audeat? Annon & Lutheranæ partis plu-
res prostant Confessiones? Annon & Augustana Confes-
sio ipsa Syntagmate habetur comprehensa? An igitur &
illa tempori, loco, & fortean cum Veritatis jaeturâ ac-
commodata? Inconsiderata descriptio! Ergò de sine uti
telis, quibus te conficis.

Dicis: Bezà ambiguâ ludens Confessione Worma-
tiæ in redditu apud Tigurinos Bonum vocavit dolum ad
liberandos Fratres adhibitum: Ita post obijcit Botsaccus
Tract. pag. 4.

R. Si quid ab ullo tali in casu, peccatum foret, iniquè
in nos traduceretur, qui quicquid à Sinceritate abhorret
detestamur.

2. At Botsacce unde id habes de Bezâ? Allegas Be-
zam ipsum. Ex volum 2, fol. 268. Eumq; cum alijs con-
ferre jubes, atq; imprimis etiam cum Historiâ Augustanæ
Confessionis. At bone vir, hic hærebis pessime. Nam
Historia Augustanæ Confessionis [quam allegas] Luthe-
rana Historia est. Unde illa habet illud de Bezâ? Dicit
publicis scriptis id fuisse indicatum: At eum quæritur,
Quibus scriptis? obmutescit Historia; obmutescit Bot-
saccus; Beza ipse autem refert, quibus scriptis, quibus

medijs orbi innotuerit accusatio? Scilicet operâ & figmento Baldvini Eceboli, qui quartò in Religione sese mutaverat, atq; hinc Meretricijs calumnijs atq; mendacijs, Calvinum & Bezam [qui vertumnus à levitate dehortati fuerant, ut ait Beza] aggressus est. Hinc illa Fabula: Hinc insultatio. Testatur & protestatur suo tempore Beza ipse, Volum 2. ad Claud. de Xainth. Apol. I. pag. 295. 296. Aut simul hæc legisti Botsacce, apud Bezam, aut non. Si non legisti, temetipsum incusa, non Bezam. Si legisti, eoram meridiano Sole teneris resorbere cālumniam, in Bezā allegato, contra Bezam commissum.

3. Quid si Botsaccum in Scenam loco Bezæ prodire faceremus? Paucis tētentabimus in Reponso ad Argumentum 4. Nec sic intaetus abibit.

IV. Argumentum autem est, quod Lutherani in Gedanensi Ministerio, vel ipsi Philippo Melanchtoni Calvinismi dicam, non sint veriti scribere. Et quod Flaccius Illyricus An. 1563. libro de Cœna Gedanensi Magistratu inscripto, fugiendos Reformatos innuerit, quodq; hinc Corpori doctrinæ Philippi contradictum à Lutheranis, & commendata sit Formula Concordiæ: ita Botsaccus pag. 24.

R. Hic se prodit bonus Botsacci dolus. Attende Lettor. Defensores Notulæ Philippum Virum Dei summè illuminatum, eumq; suum Præceptorem vocant, cuius beatam & melleam Doctrinam ad extremum vitæ halitum sint defensuri. Ita ponunt in Apologiâ, quam jussu Senatus scripsere pag. G g. II. Et pag. B b. III. Defensores Notulæ in Apologiâ Flaccium Philippo opponunt, & Flaccia-

Flaccianum Spiritum turbulentum vocant, qui & rectæ doctrinæ Explicationem, & pacem Ecclesiæ invideat. Ita illi in Confessione Præconsuli Gedanensi Dn. Joh. Brandesio exhibitâ An. M. D. LXI. 13. Octobris.

Defensores Notulæ ad Corpus doctrinæ Philippi Melanchtonis, tanquam ad promptuarium, è quo de sententiâ ejus amplectendâ constet, provocant in Apologiâ ad Articulum XIII.

Quid adhæc Botsaccus? Risum teneatis Amici;
 Botsaccusⁱ. Laudat eos, qui in Ministerio Dantisca-
 no Calvinismi dicam scripsere Philippo. 2. Laudat Flac-
 ciu[m]. 3. Laudat fervorem, quo jidem Lutherani Danti-
 scani Ministri Corpori Doctrinæ Philippi strenuè contra-
 dixerunt. Quo ipso quid aliud facit, quâm ut defensores
 Apologiæ Notularis ut Discipulos Philippi cum Præce-
 ptore suo Philippo in censem Reformatorum reponat,
 feseq[ue]; Flaccianis, Spiritu, Genio & Doctrina à Philippo
 & Discipulis ejus, atq[ue]; ita à Communione Notulæ, ejusq[ue];
 Apologiæ alienis, palam associet? At nihilominus clamat,
 se solum cum Asseclis similibus, sinceros ac veros Dantisca-
 næ Notulæ esse possessores. Hinc Defensores Apologiæ
 Notularis suæ partis æstimat Theologos. Quod nihil aliud
 est, quâm contraria miscere Elementa, & in unum Chaos,
 molemque indigestam velle redigere, quæ adversæ Naturæ
 qualitatibus invicem repugnant, & dimicant. Interea
 non cessant tales homines, ostentatione & falsâ præsum-
 ptione ignaros fascinare animos, atq[ue]; alios innocuos sub-
 leste[m] insimulare fidei in ejusmodi Causâ, in quâ ipsos Accu-
 satores Res ipsa revinct de Reatu. Sic Botsacce.

c iii.

Turpe

Turpe est Doctori, cum Culpa redarguit ipsum...

R. 2. Botsacco Collegam jungimus Coletum. Illi quam diu res angusta domi erat, & curta supellex, Philip-pica doctrina innatabat labris, atq; tunc ipsi pervulgare erat, obtestari, Dogma de Ubiquitate Corporis Christi esse Sathanicum Dogma. Ast cum videret se in partibus Flaccij melius posse emergere, illis se addicebat, quovis Protheo mutabilior. Ut D. Fabricius ex rebus notis, ac coram Senatu ac testibus peractis ipsi exprobrat. Confut. part. I pag. 122. At hic ipse Coletus, fortissimus Christi Athleta, audit Botsacco, in Arg. V. pag. 77. Quid ejusmodi sunt laudes, nisi spolia injusti calami, qui virtutis ueste vitium dignatur circumtegere? Hic in latum excurre-re rem campum, si luberet addere plura... Sed quia talia particularia sunt, subsisto, nec talibus totam Lutheranam aggravo Ecclesiam. Quid igitur Botsacce, hujus & illius Reformati Theologi conquisitis, nec dum demon-stratis nævis, totam totius Ecclesiæ Reformatæ, & Theo-logorum divexas communitatem, ijsq; Arrianæ Hypo-criseos affricas scabiem, è quorum numero, tot sinceræ animæ ex constanti professione doctrinæ de SS. Trinitate, & alijs punctis ad Martyrium præparata habuere pectora? Ubi vel mica Charitatis Christianæ est, mitiora sequentur Judicia...

R. 3. Quæ Botsacce Consequenia est: Flaccius An. 1563. [qui tamen peregrinus erat] contradixit Refor-matis, & qui Dantisci in Ministerio eum sectabantur, illo tempore, commendarunt Formulam Concordiæ. Ergò Reformati non sunt Augustianæ Confessions Socij, & Pri-

& Privilegiorum ejus. Laudas Morem Scholasticum in Disputando? Bene; sequimur in Scholam. Audite.

Quibuscunq; Flaccius & nonnulli laudatores Libri Concordiæ contradicunt, ij inter Dantiscanos Cives non habendi sunt pro Socijs Augustanæ Confessionis & Privilegiorum ejus.

Atqui Reformatis ita contigit. Ergo.

Annon hoc modo fraus aperta est? Nonne ita tota Propositio in fumos abit, ut nugacissima, falsissima? Ita utiq; se res habet. Num enim Flaccius & laudatores Formulæ Concordiæ Privilegiorum, Urbis Gedanensis sunt Authores, à quibus ita data sint, ut pro lubitu ea vel his vel illis adjudicare vel derogare suo possint Arbitrio? Id nimis superciliosum foret. Nec enim ex tam turbido fonte, diminant Ptivilegia Civium, Gedanensium. Ergò nec ex Flacci sequaciumq; ejus contradictione, de jure ad societatem Augustanæ Confessionis Privilegiorumq; ejus allegati potest ullius valoris decisio. Num Flacci Cathedra, etiam Lycurgos, Legislatores procreat? Num tales, à quorum nutu & custodiâ Urbium, populorumq; pendent Privilegia? Id Majestati Regum reservatum, qui ex aliâ Unctorum surgunt linea, majoribusq; pollent viribus. Res magnæ etenim, magnis indigent adjutoribus. Atq; hoc responso multa corruunt Botsacci argumenta. Nam sicut alias dicitur: Pauperis est, numerasse pecus; Ita Botsaccus numero multa distinxit Argumenta, quæ reipsâ unius sunt materiæ. Verbi causâ, cum dicit..

In 5. Argumento. Kittelum, Hûizingum. & alios Lutheranos Dantisci contradixisse Reformatis,

In 6.

- In 6. Omniem Concordiam à Lutheranis , Reformatis de negatam ..
- In 7. Propter personas de Reformatâ Doctrinâ suspectas , esse contradictum ..
- In 11. De reiciendis suspectis Ministris esse actum ..
- In 13. De Rectoribus Scholarum , suspicione notatis motam esse querelam pag 40.
- In 15. Cives nonnullos reclamâsse , supplicando pag 45.
- In 16. Scripta Polemica Reformatis esse opposita pag 47.
 Eadem utiq; oberrat chordâ Botfaccus . Nam si id Reformatis jura adimit , si nonnulli Ministri Flacciani eo runderemq; Asseclæ , privato ausu illis contradicunt , reclamant , Concordiam denegant , Scriptis Polemicis obstrepunt , ruinoso admodum fulcro nituntur communia Civitatis Gedanensis Privilegia .. Sic & ipsi Romano-Catholici Cives , tandem sibi dictum potent . - Veteres migrate coloni . Nam annon Lutherani perpetuò & ipsorum contradixere dogmatibus ? Annon in hodiernum diem ipsis denegant Concordiam ? Annon eos Eristicis infestant Scriptis ? Id Urbi , id Orbi notum .. Næ igitur intoleranda nimis est arrogantia , cuius vento usq; adeò vano tales Theologi sunt inflati , ut putent adversus quoscunq; ipsi Polemica Scripta compilaverint , & quibus ipsis contradixerint , illis omnia interclusa esse jura , ac Privilegia .. Periculosa sanè ad subvertendas Respublicas compendia , quibus quæ Regij sunt culminis , de loco suo dimoventur , atq; ita operæ pretium est , ut à pio Magistratu intra Cancelleros suos stare jubeantur , qui dictant Leges , quas ipsi ferre nollent , & quibus non nisi ad servitia nati , essent edomandi .

Quo

Quo in argumento tria adhuc mira sunt.

1. Hützingium Encomio suo inter eos locat Botfaccus, qui Philippismo se opposuerant. At & ille inter eos nomen dederat, qui Anno 1563. 13. Octobris contra Spiritum Flaccianum protestabantur.

2. Dum in Argumento II. ubi de rejectis Reformatorum Ministris specimen ostendere vult, dicit, obtrusum M. Keckermannum, officio esse abdicatum, ut Lutherenis Juris possessio maneret integra. Ut pag. 30. habet. Turbata monstrat vestigia. Nam heus bone Botsacce, quis obtrusit Auditorio Keckermannum? Ordinariâ vocatione à Magistratu oblatâ, in functionem immisus est. Hoccine tu Obtrudere vocas? Modesta satis de Magistratu Encomia! Quis abdicavit? Hoc reticuisti, acsi ordinarijs medijs dimissio fuisse obtenta. Nupera autem vestra Historica Relatio, prodit fraudem. Scilicet per Tumultum, per rebellionem concitatam, Keckermannus Ædibus & functione exturbatus, obtrususq; de nuò est, vi & violentiâ nonnullorum, Friccius, qui Decretum Senatus Diabolicum vocitaverat, atq; ideo intra triduum Christianâ Republicâ exesse, publico Magistratus Mandato jussus erat. Quæ cum ut justa possessionis retinendæ media, approbes Botsacce, sub vulpinâ pelle suspetos promicare sinis dentes. Si enim per Rebellionem Ordinariè vocatos Ministros de statione deturbare, est abdicare ab officiò, & vindicandæ vigilasse possessioni, *Jus Patronatus*, in dubijs hæret manibus. Talia approbare, est mandare, svadere, turbas, motus. Hiccine Tribuniarum Concionum scopus est Botsacce? Draconio leges,

Sangvīne non atramento scriptæ dicebantur. Tales ignarū Christiana Respublica. Majoris pietatis sunt boni Cives: Majoris pietatis, qui Magistratu funguntur, quām ut istiusmodi approbent media. Atq; hoc ipsum est, de quo Patriæ gratulantur, quotquot paci & felicitati ejus benē volunt.

3. Inter media Exclusionis Reformatorum, Botsaccus etiam numerat preces contra eosdem publicè à Lutheranis institutas pag. 48. At similiter etiam contra Romano-Catholicos preces dirigunt. Ergone & illis omnia apud Dantiscanos denegabunt Jura? Anno 1560. Franciscus Burckardi in injustâ causâ pro Concione populum adhortabatur, ut induratum Pharaonicum Domini Præ-Consulis Assidentis Cor, emollire vellet. Ita Lutheranus Minister, contra proprium Magistratum, publicas dirigebat preces. Ergo hoc modo nec Senatui Privilegia ulla forent tuta. Verum Magistratus Burckardum illum Urbe exire jubens, monstravit, preces à talibus, ex Affectibus fusas, non præjudicare Juribus, precibus, aliorum sanctificatis.

XII. Argumentum petitur à Ceremoniarum mutatione Institutā, quo in casu Reformatis à Lutheranis semper contradictum fuerit. Ita Botsaccus pag. 37.

R. Elumbe est argumentum. Botsacce, quod urges. Atq; Historica nupera Relatio vestra, longè firmiori fundamento annisa est, illud suffulcire prætendens, in Privilegio Stephaniano, contra Reformatos præcautum esse, ne Ceremoniæ immutarentur. At verò hæc splendida sunt figmenta. Relegite Privilegium ipsum, Relegite Suppli-

Supplicem Senatus ad Regem libellum, & tam rancido
figmento, non amplius vos oblectabitis. Cur petebat
Senatus, ut in omnibus Templis, Libertas Exercitij absq;
interruptione conservaretur? Quia offensâ belli suscepti,
eo res relapsæ erant, ut Templa, locaq; sacra, apud Danti-
scanos Lutheranos, in Romano - Catholicorum cessissent
possessionem, nisi nova Regis intervenisset Gratia. Ne
igitur hoc metuendum foret, solicitatum est de Ceremo-
nijs, ne mutarentur. Hinc Rex, in cuius manu tunc erat,
Hospitalia, Templa, ob culpam admissam præoccupare,
in confirmatione Regiâ illâ, quæ mutare potuisset, in spe-
cie exprimit, & non mutari debere, spem facit, & solen-
niter præcavet. Non enim tantum dicit, se nolle ut in
Templis Ritus Ceremoniarē ullo modo aut pacto immu-
tentur; sed adiicit etiam, promittimus & concedimus,
ne cuiquam Religionis ergo molestia vel negotium exhi-
beatur, omnesq; in libero usu Religionis Augustanę Con-
fessionis, conservabimus; idq; (ut additur) tam in Civi-
tate quam extra muros, in ejus Districtu & Jurisdictione,
Templis Monasterijs, Xenodochijs. Ita Regia habent
verba, de dato Mariæburgi 16. Decembris Anno 1577.
ut ita clarè constet, longè alio scopo tum temporis de Ce-
remonijs actum fuisse, atq; hodie prætenditur. Scilicet
metus erat, ne Romanæ introducerentur Ceremoniæ, atq;
ne tale quid fieret, Regis implorata est Authoritas.

R. 2. Idem clarissimum est ex petito Urbis ad Regem
Stephanum, in quo Articulo 1. pag. KK. III. Anno 1577.
flagitatur, ut nemo Religionis ergo prematur, nec Cere-
moniæ mutentur, Additur autem; prout illud in Transyl-
dij vaniâ

vaniā & Cracovię juramento Rex firmaverit. An igitur in Transylvania & Cracovię contra Reformatos juravit Rex, quibus illo ipso juramento, potissimum omnia Priviliegorum Jura stabilivit, ut Confoederationis potissimis membris? Hoc vanum esset afferere.

R. 3. Idem continuator Schützij stabilit dum Regia Verba in Vernacula ita effert: *Wir verheissen daß niemand wegen der Religion beunsriediget werde.* Id est: promittimus, neminem Religionis ergo turbandum esse, Ex quo sanè liquet, à parte Regis unicè formidatam fuisse mutationem, atq; ne tale quid accideret, in Ecclesiā per mutationes Ceremoniarum, quod plura secum traheret, à Senatu Dantiscano esse præcautum.

R. 4. Quicquid privato ausu à quoquam inter Reformatos Dantisci factum: idipsum cœteri non faciunt suum. Unde etiam fluxit, ut postquam de Magistratus Amplissimi voluntate constitit Religiosā quādam observantiā, quęq; suo loco inter ipsos Reformatos in Urbe Gedanensi linquantur, & tranquillè possideantur.

R. 5. Quęnam Variatio à Reformatis, illuc introducta est? Eautię circa minima versatur. At verò Lutherana mutatio multò longius progressa est, & quidem ad Templorum quoq; ablationem. Et annon in Templo S. Catharinę & S. Bartholomēi, ut & alibi apud Lutheranos Dantiscanos, nonnullę dejectę sunt Imagines, mutatę Cantiones? Annon Exorcismus ipforum Lutheranorum suffragio abolitus, & hujusmodialia? Ergo in se applicent, quo nos hāc in parte prægravare satagunt.

R. 6. Ipsi Lutherani in Romano Imperio multa circa Cere-

Ceremonias immutarunt, ut circa Exorcismum, Vester Chorales, Cereos, & hujusmodi alia, ut apud Darmstadienses, Argentoratenses, & alios factum. Neq; tamen ullus Lutheranus, tales ab Augustanæ Confessionis Privilegijs, excidisse arguet. Ratio quia libertas circa Augustanæ Confessionis professionem indulta fuit à Romano Imperatore, ut non tantum circa eos quos habebant, Confessores, sed etiam circa eos quos adjecturi essent, Ritus & Ceremonias, suâ uterentur libertate, ita habent Recessus Imperij ab Anno 1555. fol. m. 398. Ex quo fonte fluxit Electoralibus Saxoniciis Theologis Excusatio, quâ contra Romanæ Ecclesiæ Doctores evincere volebant, Lutheranos ab Augustanâ Confessione non recessisse, etiam si in Lutheranis Ecclesijs nonnihil mutationis esset introductum, ita illi in pupil. pag. 322. Idem Excusationis fundatum & alijs invideri non debet.

R. 7. In Cosensu Sendomiriensi, cuius Libertas tot juramentis Regijs roborata est, & cui Reformati Dantisca ni Cives in totum adhærescunt, apertis verbis id reservatum est, quod litem hanc facile dirimet, favente Rége. Ita enim Anno 1570 14. Aprilis sancitum est: Ritus & Ceremonias unus cuiusq; Ecclesia, liberos hanc Concordiâ & conjunctione relinquimus. Quemadmodum & ipsa Confessio Augustana, & Saxonica de eâ redocent. Et in hac Confessione nostrâ in præsenti Synodo Sendomiriensi publicatâ idipsum expressimus.

XIV. Argumentum à Privilegijs ipsis Lutheranæ partis proprijs dicitur pag. 40 Ast.

R. Hic monstrosa se offert disputandi Methodus. Ait
d iij, enim

enim Botsaccus: Testantur indubitata Privilegia Gedanensi Civitati, utri ex duabus partibus competat Libertas? At cum reddere debet probationes atq; adducere Privilegia ipsa, ex quibus constet, indubie *solis Lutheranis* competere *Urbis Jura*: Respondet pag. 40. De his differere non est nostrum. Egregia verèq; Botsacciana Juris dedu&tio, quâ tota Authoris opera, jubetur in spongiā incumbere, frustranei&q; conatus efficaciter convincentur. Hoc unicum enim Argumentum est, ex quo pro Aris & focis militatur. Regia etenim Privilegia probandi momenta, unicè secum ferunt. Cum itaq; Botsaccus ex hoc Capite non habeat firma diplomata quibus Reformatos Urbis Gedanensis Cives à juribus excludat, atq; ita in palmario probandi Argumento, in totum succumbat, frustra est, Orbi&q; testatuam facit, se mero Invidiæ æstu compulsum, istiusmodi scribendi Genus contra illos suscepisse. Et quid est, quod dicis Botsacce de Privilegijs: de his differere non est nostrum?

1. Si non tuum erat de his differere, Cur alienum quod humeri ferre non possunt, aggrederis onus? Cur extra Vocationis demandatæ vagaris Cancellos, manum implicans materiæ, cuius arcana tibi reclamant: Noli me tangere? Sic propria Conscientia tuam prodit temeritatem, atq; ex proprio ore ac calamo te revincit, te cœco adductum esse zelo, atq; ne extra nidum Alas amplius extendas, metas esse præfigendas. Theologus in rebus Curriæ, & piscis in Culina, uterq; periculo impliçantur, ajebat quondam Trithemius.

2. Si tuum non erat de Privilegijs agere, cur non Reli-

Religio tibi fuit abstinere ab ijsdem in cæteris? Annon primum Argumentum tibi sumptum ab Indulto Regio, quod Historica Vestra Relatio Privilegium vocaverat? Sic protestatio, facto contrario in Theologo, fraudem in ore vehit, testaturq; in hoc argumento, omissa Privilegia, quia nulla suppeterant, quibus justè poterant excludi Reformati.

¶. Indubitate Reformatis Urbis Gedanensis Civibus competere jura, ipsa Causæ Justitia, quam agunt, Orbi loqui, & testatum facere potest. Ad rem ipsam: Privilegium, quod Gloriosissimæ memoriarum Rex Stephanus Urbi indulsit, illud est quod potissimum allegant Lutherani. At verò illo Privilegio Reformatos excludi, usq; adeò falsum est, ut nullius valoris sit Privilegium, nisi inclusis Reformatis sese jungant Lutherani. Evincemus solidissimè: Nam.

1. Nullum verbum in Privilegio occurrit, quod vel Reformati se opponat, vel eosdem excludat. Temerarium autem est, distinguere, dividere velle, ubi Leges ipsæ nec distingvunt, nec dividunt. Atq; hinc firmissima Juris est Regula ac Conclusio: Neminem beneficio aut quacunq; aliâ re suâ, multòminus possessione privari posse, nisi id eo in casu. Legibus expressum sit. Ita Textus in Novell. panormitan. ibid. N. 7. Baldus in Author. Ex Testam. Num. 13. Quinimò Privilegia, quia beneficia præstant, benignorem semper habent in Jure interpretationem, nec in deteriorē sensum sunt invertenda.

2. Privilegium ita datur, ut publica Confœderatio Statuum in Poloniâ, loco fundamenti & tanquam Basis

Basis allegetur. Audite ipsa Regia Verba. De Usu, ait,
etiam Libero Religionis Augustanæ, specialibus Literis
Nostris *Inhaerendo Confœderationi publicæ*, illiscavimus. Ita
Rex Stephanus Mariæburgi XII. Decembris Anno
M. DLXXVII. Jam verò.

1. Confœderatio illa sancita & peracta fuit in Re-
gno. Warsaviæ An 1573. 28. Januarij, atq; ita IV. Annos
antevertit impetratorem Privilegij Stephaniani, ut Cere-
bro laborare necessè sit, qui Privilegium ante Confœde-
rationem, Filiam ante matrem extirisse clamant. Quo
autem Clypeo in tuto latitavit spacio inter medio Libertas
Religionis in Urbe Gedanensi ante obtentum à Rege Ste-
phano Privilegium? Unicæ Confœderationis, unico be-
neficio. Ideò ad eam remittit Rex denuò in ipso Priva-
legio: *Inhaerendo Confœderationi publicæ* cavimus. Ergò
ne illo Privilegio exclusa est Confœderatio, sub cuius um-
brâ haec tenus protectionis contigerat Gratia, & ad quam
Rex in ipso se refert Privilegio? Fœda utiq; in Benefacto-
res, Regem & Confœderatos ingratitudo! Sanè Rex ipse
in Privilegio remittens ad publicam Confœderationem
solemniter declarat, Gedanensi Civitati (quæ cum reli-
quis Borussiæ Urbibus, nunquam statum peculiarem in
Regno, Confœderatis oppositum fecit, nec hoc nomine
unquam admissa fuit) nequaquam Speciale Privelegium,
quo Generalia Confœderatorum Jura violanda sint & op-
primenda, esse indultum, sed datum Privelegium, Confœde-
rationis nexu unicè esse concessum, atq; ejusdem Vin-
culo unicè etiam sustentari.

2. Cpnfœderati, (quorum major pars reformatæ
doctri-

doctrinæ erat addita) in unione illâ conjunxerunt Confessionem Bohemicam, Helveticam & Augustanam , in Saxonica explicatam, prout factum Anno 1570. 14. Aprilis Cum itaq; Rex inhærendo Confœderationi illi publicæ Privilegium Urbi Gedanensi concederit, eo ipso omnes Reformati Gedanenses , [qui tot i Consensu Sendomiriensi ex animo subscribunt] Augustanae Confessionis & Privilegiorum ejus illo in loco sunt Socij.

3. Augustana Confessio alias nunquam, [quod constet] unicè autem. Vi & vigore Confœderationis Regibus justâ serie ad invicem succedentibus, præsentata atq; oblata, atq; non aliter admissa fuit: Atq; hujus Causa in ipso Privilegio, Specialis ad Cofœderationem facta est, remissio: Inhærendo publicæ Confoederationi, cavimus. Ergò Privilegium non nisi valore Confœderationis quicquam habet pretij aut ponderis , atq; ita insana esset incogitantia, eos velle excludere quorum exclusione Privilegium ipsum redditur invalidum , & in potissimâ Confœderationis acquisitæ & stabilitæ Capita [prout erant Reformati pattoni in Poloniâ , quibus Reformati Cives Gedanenses, unius fidei vinculo junguntur arctissimè] pessimè peccatur. Saturnina sunt tempora, ubi filia devorat Matrem , & dememinisse juvat, per quos emerferis. Certè Schützij Continuator in recitando Privilegio Stephaniano, Emphatico verbo Regis exprimit mentem: Vermöge und nach laut gemeiner Verbündniß und Landfriedens/ haben wir / wegen freyen Gebrauchs der Augspurgischen Confession, gnugsame Versicherung gethan. Ubi vigorj Confœderationis omnia adscribit ex Regis

ore. Si igitur *Pi & Vigore* Confœderationis Privilegium illud contigit, exclusâ Confœderatione, & Confœderatis, amittit vim & valorem omnem, atq; eo ipso planè nullum est Privilegium. Quo in casu, cogitandum erat. Reformatorum Confessiones, longè prius Regibus in Regno Poloniæ fuisse commendatas, atq; contigit Augustanæ. Confessio Bohemica Polonicè typis impressa, dedicata & oblata est Regi Sigismundo Augusto, Warsaviæ in Comitijs, Anno 1563. de quâ Rex sequenti Anno. 31. Octobris Petricoviæ, sequentia verba dixit ad Jacobum Ostrorogium, Rapháelem Lescinium, & alios: Vestram Confessionem, à vobis oblatam, recepimus, & lectam relegimus libenter, in quâ videmus, non reperiri errores, præsertim circa fundamentum Christianismi, præcipuum Articulum fidei Catholicæ de Sanctâ Trinitate, in quo alij errant; plane Confessio vestra convenit cum communī fide Christianâ, ac ideo vos & vestri, pace fruemini. Vide Hist: Slavon. lib. 1. pag. 81.

Anno 1569. 8. Augusti. Sigismundus Augustus Reformatis Cracoviensibus Privilegium certum indulxit, in quo eos vocat: Hòmines Christianos, atq; insuper ipsius etiam Calvini, honorificam facit mentionem, dogmata ejus, vocans, *dogmata Venerandi olim Patris, Joannis Calvini*, ita habent ipfissima Privilegij verba.

Anno 1570. 10. Aprilis. Helvetica Confessio lingvâ Polonicâ, explicatiū fuit conscripta, in Synodo Sendomiriensi [in quâ sanctus Consensus,] oblata autem est à Proceribus, Sigismundo Augusto in Comitijs Varsaviensibus, An. 1572. Et postea typis excusa Cracoviæ Anno 1574.

1574. Eidemq; Regi dedicata. Atq; eadem etiam Stephano Regi in Comitijs Varsaviensibus Anno 1573 exhibita fuit. Quam Rex istiusmodi dignatus est Gratia ut illius Confessionis Hominibus in Templo publico, *Bog dicto*, Cracoviæ liberum Exercitium Religionis, concesserit, eamq; Privilegio muniverit Hist. Slav pag. 88. lib. 1. Confessio autem Augustana, longè post Consensum Sendomiriensem, nimirum Anno 1594. edita est, Dantisci, per Erasimum Glicznerum, qui Sendomiriensi Consensui, ut primarius Lutheranus Senior subscriperat equidem, at verò quia in præfatione Augustanæ Confessionis, nullam Consensus Sendomiriensis fecerat mentionem, Augustanam autem ita laudaverat, ut alijs Confessionibus detraheret, scripta Simonis Theophili Turnovij, Senioris Bohemicæ Confessionis Apologia, & patronorum auxilio, èo reductus est, ut excusso metu, [cujus impulsu, urgentibus nonnullis turbulentis Augustanæ Confessionis sectatoribus, fluctuare cœperat] Anno 1595. 21. Augusti Torunij in Synodo, Consensum Sendomiriensem, toties confirmatum, unà cum alijs approbaverit, eiq; iterum subscriperit, de quo prolixius testantur Hist. Slav, ibid. Et Articuli Conciliationis factæ M. SS. Atq; hinc factum, ut postea idem Senior Lutheranus, Erasmus Glicznerus, Apologiam pro ipsâ Confoederatione scripserit, quæ Anno 1598. Regiomonti Polonicè impressa, & publicis Typis exscripta est. Ut ita facile sit agnoscere, Augustanam Confessionem, nonnisi in coniunctione cum Bohemicâ & Helveticâ, atq; ita non nisi Confoederationis publicæ respectu habere, quod de Privilegio aliquo nomine jaſtet.

4. In Privilegio Stephaniano, non nova Urbi Gedanensi indulta est novae Religionis Libertas: sed repetita fuit promissio Libertatis, jam antea Religioni Evangelicæ in Regno factæ, in Transylvaniâ, ut & Cracoviæ in Conventu Coronationis, juramento Regio stabilitæ, atq; corroboratæ. Id expressis Regis verbis iterum damus evictum. Ita enim 16. Decembris Anno 1577. Mariæburgi datæ habent Literæ: Nos qui jam pridem in Conventu Coronationis Nostræ, atq; prius in Transylvaniâ juramentum de Religione servanda præstimus, facile consensimus, *ut iterata promissione Nostrâ*, ita petentibus, Civitatis nostræ [Gedanensis] internuncijs, denuò etiam promittamus & concedamus sc. liberum usum & professionem Religionis Augustanæ Confessionis vide hanc de re ipsum etiam Schützij Continuatore lib. XIII. fol. 547. Jam verò quænam Religio fuit, de quâ servandâ Regia præstita sunt in Transylvania & Cracoviæ Juramenta? Quænam illa promissa Libertas? Num nova aliqua, quæ Reformatos, quæ Foederatos excludat? Id criminis esset, contra tam clara Regis verba afferere Repetita enim est, iterata est, denuòq; iterata promissio de servandâ Religione, cui anteâ facta erat Libertas. Illa autem est Libertas *Confederationis*, Libertas Consensui Sandomirieni, & ita ejus Confessionibus, Bohemicæ, Helveticæ, & ita Augustanæ, amico nexu conjunctis, concessa. Ergo Privilegium Stephanianum Urbis Dantiscanæ, absq; respectu Foederationis, Regio caret Juramento, atq; ita reipsâ, omnem deperdit valorem, ut non sit Privilegium. Atq; hæc ingratitudinis justa vindicta est, ut qui eos excludunt à Privilegio, sine quibus nullum habent, eo ipso amittant, quod habent.

5. Illud ipsum stabilitur ex ipso Urbis Gedanensis
petito. Unde fit: Quod petivit Urbs à Rege, id ipsum
quoq; à Rege dari voluit & obtinuit. At verò petivit, ut
eo modo, quo in Transylvaniā & Cracoviæ juramento
communiverat, Jura libertatis Regno concessæ, & Urbi
Gedanensi confirmaret Privilegia. Hæc ipsius Urbis ad
Regem sunt verba in Resolutione Art. 1. Anno 1577.
Und erstlich bieten wir/ uns wegeu der Religion zu solcher
Gestalt zu caviren, daß wir bey dem Gebrauch der Aug-
spurgischen Confession, so wol in/ als außerhalb der Stadt/
so fern derselben Jurisdiction streckt/ ruhlich und friedlich
ohne jemandes Verhinderung/ dermassen wie wir jetzo in
derselben Possession seyn / und uns dero in allen Kirchen
und Klöstern gebrauchen mögen gelassen werden/ und
daß niemands der Religion halber bedränget und beschw-
ret/ und auch in den Kirchen/ die Ceremonien nicht veren-
dert werden: Wie solches Ihre Majestät in den
Siebenbürgen und zu Krakaw beschworen. Hoc est:
Et primò quidem petimus, ut in Religionis negotio, ita nos-
bis caveatur, ut nobis liber Augustanæ Confessionis Usus,
tām in Urbe quam extra eam, in districtu ejus, pacifice sine
ullius Turbatione, eodem modo quo nunc in ejus posses-
sione sumus, atq; ea in omnibus Templis ac Monasterijs
gaudemus, relinquatur atq; ut nemo Religionis ergo pre-
matur, Ceremoniæq; ipsæ non mutentur, in Templis,
prout illud S. R. Majestas in Transylvaniā, ut & Cracoviæ ju-
ramento firmavit. Et hinc in Responso Regis ad Urbem,
eundem in modum fit declaratio Literis Regijs Bromber-
gæ 25. Januarij datis adjecta, Art. 1. Scilicet eodem mo-

e iij

do, quo

do, quo in Transylvaniā & Cracoviā juramento Regni libertas stabilita sit, Urbi Gedanensi omnia prout haec tenus fuerat debere esse, & manere integra, inviolata. Inquisitum igitur est fingere, Privilegium Gedanensium respectu Reformatorum, atq; ita Confœderatorum exclusivum esse, cum ad nullum aliud juramentum Regium se referat, quam quo Confœderatis, Libertas Religionis Evangelicæ in Transylvaniā & Craçoviæ fuerat confirmata atq; stabilita.

6. Quænam Causa exclusivi Privilegij fuisset, respectu Reformatorum? numquid illi in delicto aliquo singulari deprehensi fuerant? Nequaquam. Annon Lutherani ad arma profidentes, graviter offenderant Regem? Num illius causâ obtinuerunt remunerationem talem? Quà Confœderati in fide persistentes excluderentur, à beneficijs concessis? Id inauditam & stupidam inferret Conclusionis Absurditatem, quà merè Gratosum Indultum prætenderetur in inobedientiæ præmium, ad oppressionem illorum, quorum patroni maximo labore primi acquisiverant Libertatis Jura, & quorum respectu ipsa Gratia Indulti concessa fuerat, dicente Rege inhærendo Confœderationi publica cavemus & iteratâ promissione concedimus: Ita Reges non solent reponere Grates ingratis inobedientibus. Ergò merè gratiosum est Privilegium, nullo merito, nullo respectu innocentes Confœderatos excludens. Trutinandum igitur est, illud Privilegium, non titulo singularis meriti possideri, nec hæreditarium esse, aut prisci juris, antiquæve acquisitæ possessionis, traducem vocari posse. Sed merè esse gratiosum; Sic non usq; ad eō

adeò ad alios excludendos, quos Privilegium ipsum non excludit, desudabitur. Gratijs enim propter bonum publicum à Regibus posse ampliari, extendi, ex Jure in aperto est. Vide Jason in Lege Barb. Deci. cons. 25, farn. Vasq. in Illust: Controv. lib. I.

7. An: 1583. II Jan. Sigismundus III, in Confirmatione illius Privilegij Stephaniani Dantiscanis facta eodem modo [quo ante factum] se refert ad Juramentum Religioni Evangelicæ in Regnoliberæ præstitum: Nos qui jam in hoc ipso Conventu Coronationis Nostræ, atq; prius in Monasterio Olivensi, juramentum de Religione servandâ præstitimus facilem consentim⁹, ut iteratâ promissione Nostrâ, ita petenti Civitati nostræ denud etiam promittamus. Idem postea observavit Vladislaus IV. in Confirmatorijs Cracoviæ Anno 1633. datis. Atq; idem etiam fecit Serenissimus Rex noster Johannes Casimirus, in Regiâ declaratione Cracoviæ Anno 1649. 6. Februarij concessâ. Et quamvis circa Vladislai IV. & Joh. Casimiri Regis nostri Clementissimi, coronationem sudatum sit à parte Lutheranâ ut in Confirmatione Privilegij Stephaniani, Invariata Titulus intrusus Augustanæ Confessioni adjiceretur: Nihil tamen obtentum est, eoq; illo præcautum, ne introductâ Augustanæ Confessionis distinctione, immissoq; noviter efficto titulo affectaretur Concivium iniqua Exclusio. Ut ita firmum maneat Privilegium Stephanianum, inseparabili nexu cum Confoederatione cohærere, absq; eâ omni destitui robore ac valore.

8. Ipsa Juramenti Regij Verba, Utriusq; partis Evangelicæ communia, includunt ac stabiliunt Privilegia,
ita

Ita enim habent verba illa: Pacem quoq; & tranquillitatem
 inter dissidentes de Religione Christianâ, tuebor, manute-
 nebo; nec ullo modo vel jurisdictione nostrâ vel Officiorum
 nostrorum, & statuum quorumvis autoritate quenquam
 affici opprimiq; causâ Religionis permittam , nec ipse affi-
 ciām nec opprimam. Hinc in pactis Conventis, ratione Se-
 curitatis publice ita cavit Serenissimus Rex Sigismundus
 III. Conæderationem inter dissidentes de Religione uti à Seren-
 issimis Regibus, Henrico, Stephano, & predecessoribus
 suis factum est, conservabit verum etiam processum & exe-
 cutionem utrig; parti servientem, contra violatores ejus
 oblatum sub juramento observabit. Eadem cautione Rex
 Vladislaus IV. Anno 1632. se declaravit. Verba quæ ex Po-
 lonicâ lingua in latinam transfero, huc transscribo: Et
 quoniam ait, in hoc preclaro Regno Nationis Polonicae,
 Lithvanicæ, Russicæ, & Dominiorum ad illud pertinen-
 tium, non parum est dissidentium in Religione Christianâ,
 præcavendo exemplo Antecessorum Nostrorum, aliquas
 seditiones & tumultus, existâ causâ, rupturas aut discordias
 in Religione , cautum est Confœderatione Generali
 Varsaviensi nuper habitâ, quod hoc in passu in causâ Reli-
 gionis Christianæ debeat pax inter Dissidentes de Religione
 Christianâ conservari, quam promittimus nos in toto ser-
 vaturos, æternis temporibus , non obstantibus quibus-
 cunq; protestationibus, contra istam Confœderationem
 post convocationem istam factis, Salvis juribus Ecclesiæ
 Romano-Catholicæ, integrâ tamen in omnibus dissidentium
 de Religione pace, & securitate , ita ut in Convocatione nu-
 per præteritâ Varsaviensi , in Confœderatione Generali
 per-

perscriptum & cautum est. Quæ pacta Serenissimus Rex, non tantum subscriptione, sed etiam juramento Regio comprobavit, atq; roboravit. Cum itaq; pacta conventa, & ipsa Regia juramenta *uramq;* partem Evangelicorum dissidentium includant, iniquissimum est, ut una pars alteram excludere gestiat, à communis Privilegiorum & libertatis concessæ jure.

9. Sigismundus III in Confirmatione Regiâ ita Privilegia Civitati Gedanensi stabilivit, ut *omnia manerent & sanctè servarentur in eo statu* in quo sub adventum Regis in Regnum erat *inventa*. Hæc religiosè observata volebat. Ita enim habent Regia oracula, & Literæ: permittimus & concedimus, ut Religionis Augustanæ Confessionis, tam in Civitate Gedanensi, quam extra Muros, in ejus districtu & Jurisdictione, Templis, Monasterijs, Henodochijs, *ut sub adventum nostrum* in Regnum utebantur, & in ejus possessione fuerunt, pacificè & quietè libera professio fiat, neve cuiquam Religionis ergo molestia vel negotium exhibeat, *omnesq;* in libero usu Religionis Augustanæ Confessionis conservabimus, manutenebimus, & tuebimur. Ita Rex Cracoviæ An. 1588. 11. Januarij Idipsum etiam Legati Regij, Ericus Sparr, & Ericus Brae in cautione Religionis, nomine Regis sanctè stipulati ante fuerant, Scilicet, vigilaturum Regem, ut Urbibus Majoribus, Thorunio, Elbingæ, & Gedano, Libertas Augustanæ Confessionis prout tum temporis in Usu erat in Templis, inviolata & sine *ullâ* interruptione, atq; sine *ullius* impedimento relinquetur, ut habent Literæ datæ Warsaviæ Anno 1587. 21. Augusti. Quod pientissimus Rex promisit, in-

violatè præstitit, à parte suâ. Quo modo autem in ipsâ Urbe Gedanensi obervatum sit, tristis prodit experientia. Illo enim tempore, quo Rex veluti Sanctum habere volebat, ut omnia ita manerent, atq; tunc erat, longè alia facies rerum erat atq; nunc.

In Senatu tunc major pars Reformatorum erat; Nunc unicus ex Reformatis inter Senatores locum habet.

Tum temporis extra Urbis Pomoeria in pagis pleriq; Pastores erant Reformati: Nunc inter eos nullus comparet.

In Civitate ipsâ Reformati in plurimis Templis suis habebant Reformatos Theologos, scilicet Anno 1587.

| | | | |
|----------------------|--|---|------------|
| In Parochiali erant: | { D. Prætorius. Seltzlinus. D. Kittelius. D. Coletus. | } | Reformati |
| | | | Lutherani. |

At yerd illic nunc nullus Reformatus locum habet.

| | | | |
|---------------------|----------------------------|---|-------------|
| In S. Johannis tem- | { Hutzlingius. Friccius | } | Lutherani. |
| plo erat. | Keckermannus | | Reformatus. |

At nec illuc Reformatus nunc est.

| | | | |
|------------------|------------------------------|---|------------------|
| In Petro Paulino | { Holstius Adrianus Pauli | } | omnes Reformati. |
| erant: | Copius. | | |

Atq; has vices adhuc tenent Reformati.

| | | | |
|---------------------|------------------------------|---|-------------|
| In S. Catharinæ Æde | { Hoffmannus Lindenmannus | } | Reformati. |
| erant: | Kalckbrecherus | | Lutheranus. |

Illic.

Illic nunc ex Reformatis nullus.

In S. Bartholomæi
erant: { Curæus
 &
 Broſæus } Reformati.

In S. Elisabethæ erat. Rauchstadius Reformatus.

Atq; hunc locum retinuerunt Reformati.

In S. Barbaræ erat Glaserus Reformatus. Ast illic nullus
nunc est Reformatus.

In S. Jacobi erat Theurkauffius Reformatus: Atq; nec illic
nunc quisquam est Reformatorum.

In S. Spiritus Templo erat Stanislauſ Lutheranus Quod
templum & hodie Lutheranis est proprium.

In Polonico Templo erat Zbasinius Lutheranus.

Cujus locum nullus Reformatus possidet.

In Æde SS. Trinitatis solus erat D. Fabricius Refor-
matus, nullus Lutheranus. Hodie autem illud Tem-
plum occuparunt Lutherani, ut & profesiones publicas,
qubus ante Reformati fungebantut, in eodem Gymnaſio
in quo habetur Templum SS. Trinitatis.

Lutherani igitur tunc temporis tantum VII Habe-
bant Theologos Reformati autem XIV Hodie autem Re-
formatis tantum IV Ordinarij sunt relicti Concionatores,
cæteraloca omnia à Lutheranis preoccupata sunt.

In tantum Urbis Gedanensis conditio mutata est, ab
illo statu, in quo sub adventum. Sigismundi III, Regis opti-
mi erat, & in quo eam eternum conservari precaverat.
Ergo quicquid illuc illatum mutationis de facto est non de
Jure. Atq; hinc pia Anima Rex noster Serenissimus, meritò
f ij care-

ea respicit, ut jus sartum tectum conservet, & divi Parentis, rectè agendo premat vestigia.

10. Nec est ut Botsaccus obijciat: Sigismundum III. Anno 1606. Adversa partium circa Religionem studia egrè tulisse, Nam...

R. Omittere Botsaccum, quæ sequebantur ab eodem Rege Sigismundo III. Anno 1619. Ita enim 20. Martij scribebat ad Senatum Gedanensem: Iterum serio mandamus, omnino habere volentes, ut sepositis ob Religionem partium diversarum studijs ac factionibus, modestè pacificè ac quietè se *omnes* gerant. Nec alter alterum ob diversitatem Religionum in Civitate illâ permissarum à muneribus & honoribus publicis excludat, aut alio quocunq; modo turbet, molestiamq; aliquam sive Verbis sive factis exhibeat, sed *omnes* pariter *aquo jure* inter se vivant. In quibus verbis utiq; Regia habetur totius litis determinatio, atq; decisio. Nec enim soli Lutheranæ parti Libertas tribuitur, sed eandem, *permisso* in Urbe disidentium partibus competere, apertissimè declaratur, atq; equidem ita, ne pars, partem à beneficijs, Dignitatibus, juribus, excludat, sed ut *omnes aquo Jure* gaudeant. Si exinde Botsaccus jura Exclusiva pro Lutheranis fabricari noverit, contra Reformatos. - Erit mihi magnus Apollo. Nisi fortean exclusisse Reformatos à *communi jure* Botsacco sit facere, ut Reformati & Lutherani *aquo gaudeant Jure*.

R. 2. Sinistris Delationibus tum temporis Aula p̄occupata, atq; malè informata erat, & quidem adeò, ut Senatus ipse, acsi nonnulli è medio ejus extraneos Turbatores in Civitatem advocabissent, incusaretur. Hinc Senatus in-

tus in Responso ad Regem Sigismundum III. Anno 1619
28. Maij protestabatur , & declarabat , istiusmodi delatio-
nes , esse calumniosas . Nec enim à quibusdam sed ab uni-
verso Senatu more Majorum non Turbatores , sed Professores
& Contionatores advocatos esse , petebatq; Senatus Regium
Nuncium , Magnificum Dn Jacobum Szczepanskium , ut
eo modo hanc excusationem coram S. R. Majestate bene-
volè explicare vellet .

11. Anno 1634. 30. Decembris Vladislaus IV.
Regijs Literis Gedani datis antè stabilita *Jura* eodem-
modo , & quidem specialissimà declaratione , ita ob-
signavit ; Cum non ita pridem Diplomate Nostro Ci-
vitati Gedanensi benignè cavissemus , quod eandem in li-
bero & pacifico usu , atq; Exercitio Religionis Christianæ ,
juxta Augustanam Confessionem , prout tempore præ-
decessorum Nostrorum , præcipue Divi Parentis Nostri fuit ,
conservaturi simus ; Relatum ad Nos postea fuit , ambigi-
de eo in prædictâ Civitate , jam olim recepto , perpetuoq;
usu comprobato , ad omnesne , qui Augustanæ Confessio-
nis nomen sibi usurpant , licet in nonnullis inter se differant .
An verò ad illos tantum qui Lutherani vulgo dicuntur , ex-
clusis ijs qui Reformati nominantur , Beneficium Privilegij
Nostri pertineat ? Nos verò re ista altius pensitatâ , cum
nullum certius Tranquillitatis & Concordiæ vinculum
quod huic maritimæ Civitati varijs periculis , & hostium
conatibus obnoxiae , salubre esse possit , quàm æqualitatem
Civium , paritatem Juris esse sciamus ; præterea omnes sub-
ditos , qui eandem laudem fidei nobis & Reipublicæ præsti-
tæ meruerunt , pari clementiâ complecti ac tueri Regium .

ac planè paternum esse ducamus, idcirco omnia dissensio-
num Civilium semina tollendo, exemplisq; laudatissimo-
rum Antecessorum Nostrorum, Regum Poloniæ, præci-
puè verò Divi Parentis Nostrí, qui litem istam partium de
Titulo Augustanæ Confessionis Disceptantium intactam
semper reliquerunt, & utramq; partem pari libertate gaudere
passi sunt, inhærendo, declaramus pro Nobis & Serenissimis
Successoribus Nostris, quod sicut antè, vigore istiusmodi Pri-
vilegij à Divis Majoribus Nostris concessi, utraq; pars in
libero Religionu Exercitio, nec non Temporum & Scholarum
possessione ac Civilium Magistratum Ordinumq; Honore
sine ullo Discrimine fuit, ita etiam nunc Beneficium Privi-
legij nostri ad utramq; se extendere debere. Proinde omni-
no volumus, ne ullo prætextu ob diversam Augustanæ
Confessionis Interpretationem sese turbent, & aggra-
vent, vel à Tempis Scholis Magistratu Ordinibusve arceant
& excludant, sed prout unius Civitatis Filios decet, pa-
catè & tranquille, fraternèq; inter se vivant. Hæc Vla-
dislaus IV. Quid hac decisione Regià clarius? Quid aper-
tius? Si solis radio Reformatorum scriberentur *Jura*, dilu-
cidius ob oculos ponì non possent.

12. Anno 1636. 5. Februarij, Senatus Amplissi-
mus Civitatis Gedanensis, unanimi plurium Votorum suf-
fragio, Reformati est pollicitus, se id acturum sincerà &
bonà Fide, ut ipsi Reformati in Urbe Gedanensi, Templa
sua, prout Tunc tenebant, in perpetuâ plenâq; posseßione reti-
neant, absq; omni interturbatione, atq; ut ab honorum
participatione non excludantur. Agnovit igitur Senatus:
Contra Jura esse publica, Templa illa adimere. At verò
tum

tum Temporis Reformati utiq; erant in possessione Tem-
pli SS. Trinitatis, è quo hodie omnino sunt exclusi.

13. Anno eodem 8. Febr. in Urbe Gedanensi co-
ram Vladislao IV, deputatus Senatus, in præsentia non
neminis ex Reformatis, repetebat Nomine Senatus *ante*
datam Reformatis promissionem, novâq; stipulatione,
eam *Verbis Senatus* solenniter renovabat. Cumq; Sena-
tus, scripto promissionem factam firmare detrectaret;
urgebat Serenissimus Rex ut, quod *Verbis Senatus* esset
policitus, idipsum scriptarum Literarum fide, absq; lon-
giore cum alijs Ordinibus intercurrente deliberatione
roborare vellet.

14. Anno 1638. Senatus Gedanensis nonnullis
Amplissimis Collegis Reformatæ parti addictis, sanctâ
promisit pollicitatione, Reformatis Civibus, *omnia debe-*
re servari, in eo statu respectu Templorum, aliarumq;
immunitatum, in quo tunc erant. Testis Deus invocatus
in solenni illâ stipulatione, coram quo æternitati inscripta
manent, quæ nos loquimur.

15. Anno 1645. Vladislaus IV. Reformatos Geda-
nenses ad Colloquium Thoruniense Charitativum cle-
menter invitavit, atq; in ipsis Invitatorijs eos Reforma-
to Augustanos vocavit.

16. Anno 1647. 27 Februarij, Senatus Gedanensis
Urbis Amplissimus, in Responso, Illustribus Evangelicæ
Nobilitatis Polonicæ Deputatis dato, declarabat, sibi
nunquam in mentem venisse, ut quempiam oppimeret,
aut Ecclesiasticâ politicâ Libertate, Honoribus, fortu-
nisq;

nisiq; spoliaret, quinimò potius pro Notā certissimā non veræ Ecclesiæ se supponere, oppressionem Christianorum.

17. His adde tandem, nuperam *Joannis Casimirii Regis Nostri Clementissimi*, declarationem, & habebis plenam Rei determinationem. Is enim Anno 1651. 3. Octobris, ita scribebat ad Senatum Gedanensem: A primis per Gratiam Omnipotentis Dei, felicissimi Regni Nostri auspicijs, eam fuisse, & nunc esse, Regiam Curam & solicitudinem nostram, ut quemadmodum *solemnibus pactis Conventis*, & firmâ eaq; inviolabil stipulatione, insuper Regij Nostrij jurisjurandi vinculo, Defensionem, tutelam, & conservationem pacis *inter Dissidentes de Religione Christianâ promisimus*, & sanctè spopondimus; ita eandem pacem *semper & ubiq; locorum omnibus & singulis Christianam Religionem profitentibus*, integrum, illæsam, sartamq; & teatam, conservaremus, & ab alijs conservari curaremus. Ideoq; ad primum nuncium de concussâ aliquantum in Civitate nostrâ Gedanensi eadēm pâce, deq; inhibito antiquo professionis Augustano-Reformatorum in Templo Sanctissimæ Trinitatis Exercitio, alijsq; eorundem Reformatorum Gravaminibus dederamus Literas, eo potissimum fine & effectu, ut quemadmodum à sâculo in hâc usq; tempora, pax & Concordia Religionis, inter Augustano-Lutheranos, & Augustano-Reformatos, in hâc Civitate permansit, ita & imposterum *eadem Religionis pax*, & quæ eam seqvuntur, quies & tranquillitas publica in eadem Civitate, inter Cives verò ejusdem,

dem, *paritas æqualitas*, & *unanimitas*, conserventur, neve antiquitus benè composita malè turbentur, & ne aliqua interna Civitatis maritimæ dissidia, latius erumpant, atq; eidem Civitati. & Terris Prussiae, adeoq; [quod abfit] iuu Regno & Reipublicæ aliquod facessant periculum Exigebant id ipsum à Nobis, ultrà promissas nostras speciales, eam in rem obligationes, Generales *Confederationes*, omnium statuum & Ordinum Regni Nostri provinciarum annexarum & Civitatum Regiarum sub Interregnis fætæ, Jura Legesq; & Constitutiones publicæ, ac provincialia sancta, in stabilitamentum semper & ubiq; locorum, pacis dissidentium prolatæ; Tum verò Diplomata, Privilegia, Rescripta, Declarationes, & Mandata, à Divis Antecessoribus Nostris, & à Nobis ipsis speciatim & in particulari huic Civitati gratiose collata & solenniter emanata, quibus Liberum Exercitium Religionis, seu professionis Augustano-Reformatæ, usus Templorum, Scholarum, Henodochiorum, participatio Honorum, munerum & Officiorum Civilium, unioni ex Reformatis benignè permissa, legitime concessa & sufficienter cauta sunt. Ita scribit Serenissimus Rex, & horum vigore, Restitutionem eorum, quæ occupata sunt, Regie mandat, & injungit, ut clarior & Specialior pro Juribus partis Reformatæ inter Cives Gedanenses Declaratio dari & exceptari nequeat.

Ex quibus *omnibus* Sole clarius est, Reformatos *Cives Gedanenses* Augustanae Confessionis & Privilegiorum omnium ejusdē de *Jure summo* esse Socios; atq; ita in propatulo est, quo ruat Botfaccus, contrarium contra tam clara documenta afferendo: Scilicet Privilegium Stephanianum contra mentem Regis explicando, Privilegium ipsum in periculum coniicit. Nam si ab eo, quo *Res* initio erat, statu disceditur, & Constitutio, quæ cum promulgaretur, justa erat, eō trahitur, ut *nocere* incipiat, cessat mens *disponentis*: Id inter Jure Consultos extra Controversia est. Vi-

de Jas in Legē quod Serv. Et Dec. Cons. 335. Præxit Botsaccus ad mala Consilia; Verūm non habebit qui sequantur in omnibus. Norunt piæ Animæ, istiusmodi Medijs Benedictionem non traduci in seram posteritatem. Trutinant, non quæ possimus. sed quæ debeamus attendendum, atq; non utendum esse imperio, ubi Legibus agi potest. Minuuntur enim Jura, ubi nimium gliscit Authoritas; Atq; ea demum ruta est potentia, quæ viribus suis ponit modum.

17. Argumentum Botsacci petitum est ab extraneâ Authoritate, scilicet à Testimonio Doctorum Romanæ Ecclesiæ, qui Reformatos ab Augustanâ excluderint Confessione. Ita ille pag. 44. 45. 46. & 49.

R. 1. Regiæ Authoritate in Urbe Gedanensi, & in toto Regno Poloniæ, non privatis Scriptis, Causæ Civiles determinantur, Regis arbitrio aut standum aut cedendum.

R. 2. Agnoscisne Botsacce, locum *Fari* competentis apud Romanæ Ecclesiæ Doctores? Sequimur Actorem, inter Reos hærebit.

I. Quod attinet Authores à Botsacco citatos ex unius allegatione, ostendemus Judicium de cæteris.

Laudat etiam inter alios Romano-Catholicos Scriptores *Conzenium* Soc. J. Doctorem Theologum, & Sacrarum Literarum in Archiepiscopali Academiâ Moguntinâ [ut loquitur] Professorem, utpote qui Syncretismum Paraeanum dissuadeat, tanquam ad violandam Religionis pacem, & nocendum Regibus aptum, ita ex ejus Polit. Lib. 9. cap. 24. At Conscientiam tuam appello Botsacce, quid egeris? Annon legisti, *cundem* Authorem *ibidem* Lib. 9. cap. 41. pag. 815. asserere ac dicere: *Una*, non dico, Respublica, aut Civitas, aut Ecclesiola ostendatur; sed *una anima*, que cum primævâ Augustanâ Confessione in omnibus conveniat. Nullam dabunt, ait: Hæreseon enim est, nunquam stare, semper ruere, atq; impetu frangi, dividiq; in Novas Sectas: Ita ille ipse; & statim.

tim subiicit divisionem Sectarum, (quæ utiq; Lutheranæ gentis sunt) scilicet Ubiquitariam, Majoristicam, Osiandricam, Illyricam nominando. Quo modo idem Lutheranos alijs in locis describat, Charitatis jussu prætero. At Botsacce, tunc hujus Authoris arbitrio committis Decisionem de Jure ad Societatem Augustanæ Confessionis? Ergo Lutherani revera non sunt ejus Socij. Quia nulla Respublica, nulla Civitas, nulla Ecclesiola, quinmò nulla omnino anima ostenditur juxta Conzenij Judicium, quæ non defecerit à primâ Augustanâ Confessione [De illâ enim loquitur] Videt ita Serenissimus Rex, videt Respublica Polona Augustissima, Lutheranos, juxta ipsius Botsacci Leges non esse Augustanæ Confessionis Socios. Tutissimum igitur est, Concivibus Lutheranis Gedanensibus, cum Reformatis amplecti Confœderationis Basini Consensum Sandomiriensem, Sigismundo Augusto, Henrico, Stephano, Sigismundo III. Vladislao IV. Johanni Casimiro, optimis Regibus, Patriæ Patribus, oblatum, atq; tot Regiorum Juramentorum Sigillo obsignatum. Illo stante, stant & persistunt, quæcunq; ad publicam facere possunt tranquillitatem. Habes Lector specimen Dexteritatis, quâ pro se Authores alleget Botsaccus; Expende, & Genium hominis demirare mecum.

2. Ut suo Botsaccus compungatur modo, audiat & *alios Scriptores Romanæ Ecclesie*.

Carolus Carafa Episcopus Aversanus, in Commentario de S. Germania Restauratâ pag. m. 17. scribit: Verum est, *Lutheranos ab Augustanâ Confessione defecisse*; & addit simul partes, in quibus defecisse putat. Sic pag. m. 35. Inter varios Sectarios recepit etiam inter se divisos Lutheranos, Osiandrinos, Heshusianos, Brentianos, Majoristas, Adiaphoristas Ubiquetarios.

Diligentes Doctores de Compos: pacis cap. 6. Quæst: 36. dicunt. *Non minus Doctrina Ubiquitatis in multis Imperialibus Cœnitibus, sub pallio Augustanæ Confessionis delitescit, cum tamē*

in Articulo X. ejusdem *damnata sit*, & contra illam valeant Verba : Et improbamus *secus* docentes. Et Cap XI. Quæst: 82. Num. 118. concludunt; Non multos hodie exstant Augustanæ Confessioni adhærentes. Ratio inter alias est, quia multi Protestantes *Formulam CONCORDIÆ & UBI QVITATIS* sequantur Doctrinam. Botsacce, Hic Diligensum judicio habes eos, qui sub palladio Augustanæ Confessionis dolosè lateant, Verba ejus, non mentem, imitantes. Scilicet sunt illi, qui ex *FORMULA CONCORDIÆ* Lutheranæ, *UBI QVITATIS* dogma Augustanæ Confessioni adversum profitentur. Ne igitur in tuum locum alios substituas, operæ precium est accuratiū attendisse.

Hosius Cardinalis in Judicio de Ador. Trinit: SS pag. 354. scribit, Lutheranos usq; adeò ab Augustanâ Confessione, & Luthero ipso defecisse, ut vix inter se convenient. Et de Hæresib: Lib. I. pag. 224. ait: Nec Brentium, nec Urbanum Regium, nec Osianum in Confessionis Augustanæ verba jurasse, sed nominis sui studiosos, novam quemq; sibi fidem condidisse.

Bellarminus Cardinalis Tom. 2. de libro Concordiæ pag. 553. ait: Librum Concordiæ, continere insignem vanitatem, gravissimas Hæreses contra Symbolum Apostolicum, & mendacia innumerabilia, apertissima, atq; inter se pugnantia pag. 554. ait: Errore ejus de Ubiquitate Hamanæ Naturæ Christi, repugnare sententiæ primarij Authoris Augustanæ Confessionis, & Apologiæ, toti Antiquitati, & S. Scripturæ.

Didymus Hermannovillanus in Rec cap. 2. Monstrat, Regionantas quosdam Professores ab Augustanâ Confessione desciisse, ideoq; Anticyram navigare jubet;

Forerus in Bello Ubiquitistico pag. 40. 41. ostendit, Lutheranos, in doctrinâ de Personâ Christi, prorsus defecisse ab Augustanâ Confessione.

Jam Botsacce urge principia tua, & de te conclude: Quos Romanæ

manæ Ecclesiæ Doctores ab Augustanâ Confessione alienos declararunt illi non sunt ejus Socij.

Atqui Romanæ Ecclesiæ Doctores declarant, Lutheranos ab Augustanâ Confessione esse alienos, ut ex allegatis constat.

Ergò Lutherani *non* sunt Augustanæ Confessionis Socij. Ita Reformati totum concedunt Argumentum. Sic autem Botzacce de tuo luditur corio. Cautius igitur in posterum mercari disces. Annon Coloniensis Cancellarius, Franciscus Burckardi de Autonom. Lib. I. cap. 7. refert. Electorem Palatinum Reformatum post superatas difficultates Anno 1566. in Comitijs motas, tandem Directorias partes inter ipsos Augustanos habuisse sibi commissas. Quæ sanè Juris usurpati communio operatur Consensum & possessionis præscriptionem ex Jure, Teste Bursat. Consil. 177 & Mascard, Consil. 162.

R. 3. Quid amicitiæ tibi Botzacce, cum Romanæ Ecclesiæ Doctoribus, quos perfecto hactenus aversatus es odio? *Quid Saul inter Prophetas?* Annon tu ipse in Defensione Dantiscani Lutherani Catechismi Anno 1651. asseris pag. 6. Ex Hunnio vestro evictum esse, Romanæ Ecclesiæ Doctores cum *omnibus* Hæresibus habere communionem? Annon ea allegasti, ex quibus volebas monstratum, illos non Pastores, sed raptiores esse, pag. 36? Et nunc Anno 1652. tantum mutatus ab *illo*. Reverendos eos vocas, Patres, quorum reverentiam aliæ tam procaci proculcas pede? Scilicet eo ipso veluti poppysmo, demulcere eos gestis, ut ipsis placeant Fabulæ, quas fecisti. At facile subolfaciunt Hypocrisim. Verbis non tollitur, quod intus fibras alit. Manet altâ mente repôstum, quod scripsit Lutherus Tom. VII. fol. 432. Romanam Ecclesiam Diabolum sibi elegisse Deum, atq; in eo suam sibi habere Consolationem, ad illum ferri, prout digna sit, ut habeant similes labra lactucas. Manent altè insculpta, quæ hunc in modum alibi Lutherus, & ejus Discipuli, tum in Refor-

matos, tum in Romanæ Ecclesiæ Doctores, levibrachio damnationis calculum in quoscunq; proijcientes, uno Ore efflarunt. Hinc genus scribendi Lutheranum, ob nimios affectus furiosum & Cerevisiarum ab Hieronymo de S. Hyacintho judicatur in Animadv. in Hulsemannum Cap. IX. pag. 43. Cum Reformatos ex Colloquio Thoruniensi, magis promptos, magisq; tractabiles vocet in Proemio Ideæ Anno 1646. editæ. Hinc Thomæ Campanellæ Doctrina Lutherana manet Hæresis à Lupo exorta, de Monarch Hisp. cap. 28 pag. 331. & cap. 9. pag. 84. Et quid non adduceremus, si in Theologorum scriptis, quicquid in hanc materiam occurrit, Ruspari vellemus? Ast eo scopo non laboramus. Id tantum agimus, ut patefiat, quām effronti Audaciæ, & vano conatu Botsaccus & in hoc Argumento usus sit. & quām parum proficiat, alienas in re iniqua pulsando fores.

R. 4. Quā sinceritate Bella inter partem Lutheranam & Reformatam ex Doctoribus Romanæ Ecclesiæ exaggeras Botsacce? Nonne inter tuos habes, quos ex acie cruentâ revoces? Bellarminus fatetur, aut Romanæ, aut Reformatæ Ecclesiæ sententiam de S. Cœnâ veram esse; Luthericam autem opinionem, nullo modo posse habere locum. Tom. III. de Euch: Lib. III. De Predestinatione, multi in Romanâ Ecclesiâ, in plenisq; cum Reformatis conveniunt; de Personâ Christi, contra Doctrinam de Ubiquitate Reformata & Romana Ecclesia, ijsdem utuntur armis: Quā in re Buscus Jesuita in Disput; publicâ Anno 83. habitâ, satis acriter progreditur, dicitq; Lutheranos, Corpus Christi Ubiq; facientes gravius peccare, quām olim fecerint Hæretici Helcessitæ, de quibus Epiphanius Hæres 53. dicit, quod finixerint Corpus Christi longitudine (*non septem pedum*) sed *sex milliarium*, latitudine autem 24. Milliarium habuisse complexum, cetera non dissimulant Reformati. Quomodo autem inversis gladijs non aliter atq; Cadmæi fratres inter se quoq; dimicent Lutherani, in aper-

400

In aperto Mundi Theatro videre est. Pandochetus Lutheranus conqueritur, Lutheranos repudium misisse Doctrinę Lutheri, de Providentia & Prædestinatione; Tubingenses & Marpurgenses, mutuis se feriunt Anathematibus, circa dogma de Ubiquitate; Misleitiani & Calixtiani, de Amsdorffiana Propositione quod Bona opera sint perniciosa ad salutem, & de pluribus alijs aperto Marte decertant, parsq; partem, infinitarum arguit Hæresium. Et quis enarret singula -

Si vel sint centum lingvę, sintq; ora centum?

At hi omnes Augustanę Confessioni subscribunt, & genuina se ejus membra jactitant. Botsacce an omnes sincerè sine Arriang levitatis ac simulationis Notā? Tua hīc transige ante quam examines aliena.

R. s. Unde potissimum Reformatorum exaggerati sunt Errors? Ex falso Lutheranorum imputatione. Vel unicum admitte specimen Botsacce. Queris Reformatę Ecclesię Erroris notam inurere ab errore Zwinglij quo Ethnicos quosdam extra Ecclesiam salvatos esse, ipsum sperasse aīs in Tractatu pag. 415. Nec Theologos Reformatos litis tollendę agnoscis arbitros si negent, publicam Ecclesię esse Doctrinam. Athęc nimis cruda: Nimis sunt iniqua: Ubi enim Ecclesia Reformata publico nomine se illi addixit dogmati? Monstra Tabellas Assertionis; monstra Acta; aut calumniosum agnosce convitium. Damnamus errorem; cum personis tu transige: Clemens Alexandrinus, Dionysius Areopagita, & Lutherus, in Zwinglij sententiam [ut afferunt Theologi] inclinarunt alicubi: Cum his consere manus, donec defatigatus impetus, te faciat canere Receptui, ut Martiali usus es Phraseologia contra Reformatos. Frustra & in quę nos impetis. Atq; ita in reliquis contranos agitur, ut non mirum sit, hoc modo non favores, sed lites ampliari. Audiat tandem Orbis, quod constantis Declarationis nomine profitemur. Quales Botsaccus descri-

describit Theologos reformatos, tales non habemus; tales nunquam inter se se Reformati Cives Gedanenses audiverunt. Quicquid ex Calvinio, Bezá, Zwinglio, alijsq; obijcitur, non defendant Theologi nostri amplius. Millies enim à Reformatâ Ecclesiâ vindicata sunt, quę vindicanda erant. Si Confessiones, quibus Privilegia, communis in Regno Poloniæ, atq; ita etiam in Urbe Gedanis, Libertatis, nituntur, expressas cupis, nominamus Consensum Sendomiriensem, ad quem Confœderati provocarunt in Actis Synodi Wlodislaviensis. Anno 1583. 19. Junij Artic. IV. Quicquid in illo continetur, totus cœtus Reformatus Civium Gedanensium sincerissimè recipit, credit. Si in illo aliquid atro lapillo notandum putas, Botsacce, Res tibi est cum omnibus Confœderatis eorumq; Juribus; Sin in eo acquiescis, calumniari tandem desine, nec particulares exprobra opiniones. Christiani sumus, id nobis Nomen est; Catholici sumus, id Cognomen; ita cum Paciano dicimus. Quicquid enim Catholicæ veritati est proprium, id lubentes amplectimur, & tuemur, & ut tandem omnes in uno convenient, Vero Catholicismo, nunquam non optamus. Sic non homo de Homine sed *VERITAS* triumphabit de Erroribus & opinionibus.

Jam ex omnibus liquidissimè constat, Argumenta Botsacci, plumbeis pugnasse pugionibus, ipsumq; nullâ specie, nullo colore evincere potuisse, Reformatos Gedanenses Cives, ab Augustanâ Confessione, ejusq; Privilegijs de jure excludi posse. Manet igitur inconcussū, Reformatos cum Cocivibus Lutheranis, eorumdem Jurium esse, & esse debere participes. Quamobrem tempus est, ut ab odijs cessetur, & profligata pax in Urbem redeat, comitem habitura omnigenæ Benedictionis Incrementa. Cessent Martis clausica; manus manum fulciat. Sic quodam felicitatis torrente affluet, quicquid pios Cives recreare potest, inq; eo sistet & servabit statu, ut & de favore *Optimi Regis*, & de

Tutelâ summi numinis, abundè sibi suisq; gratulari queant. Atq; id ipsum est, quod omnes boni mutuis vovent precibus. FINIS.